GEORGII HENRICI HÆBERLINI, D.

Dissertatio Theologica,

In quâ

SENTENTIA

De

GENERATIONE PLANTARUM,

à recentioribus quibusdam Philosophis probabiliter asserta, *ex Sacris literis clarè ostenditur.*

Addita est ob affinitatem materiæ Tractatio

De

GENERATIONE ANIMALIUM.

TUBINGÆ,
Sumptibus JOH. GEORGII COTTÆ.
Typis VIDUÆ MARTINI ROMMEII.

Anno M DC XCIII.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

BEnevole Lector. Etsi vocatus nuper ex Academia ad Curiam, hujusq; Metropoleos Ecclesiam, temporis privato studio impendendi perparum habeam, nedum iis, quibus otia quandoque sua Theologi consecrant, qualia sunt, quæ ad regnum naturæ pertinent, prodit tamen ad monitum Amicorum hoc

quicquid est opellæ de GENERATIONE PLANTARUM & ANIMALIUM, nuper, cùm Tubingæ adhuc degerem, horis subcisivis exaratum. Occasionem dederunt discursus privati cum Amicis nostrisque tùm Collegis quibusdam, quos observanter & officiosè colimus, habiti. Argumentum, ut videtur, philosophicum est, tractatio verò, ut inspicienti patebit, Theologica, instituta juxta ductum sacrarum literarum non saltem de fidei mysteriis, sed & de naturâ nos informantium, tantoque certiùs, quod impossibile sit, DEUM istarum literarum authorem falli vel fallere. Sententia, quam propono & divinæ revelationi omninò congruam esse arbitror, nemini obtruditur, neq; cum iis, qui aliter sentiunt aut sentiendum esse putant, certare animus est, cùm alia

alia nunc expedienda incumbant. Si nova videatur eoque minus assensum mereri, tolerari tamen poterit, quòd fidem orthodoxam inconcussam relinquat, & de naturalibus non nisi ex Scripturâ loquatur, quamvis ex eo, quòd nova videri possit, in suspicionem falsitatis nequaquam trahenda sit, nisi de veritate religionis Evangelicæ dubitare velimus, quòd nova Judæis visa sit tempore Christi in carne, & à tempore Lutheri talis videatur Papistis. Et licèt ex nostræ Ecclesiæ Doctoribus ducem vel socium allegare nesciam, veteris tamen Ecclesiæ celeberrimos Patres, Tertullianum & Augustinum adduxi, idem, ut ego quidem persuasus sum, asserentes, quibus procul dubio alii istorum temporum eruditi adstipulati sunt,

cùm loquantur tanquam de re notâ & extra controversiam positâ.
Vale. Dabam Stuttgardiæ, die 26. Januarii, Anno 1693.

PRÆLIMINARIS RELATIO SENTENTIARUM.

DE Generatione Plantarum & Animalium variæ circumferuntur, tùm Veterum tùm Recentiorum ſententiæ, quas numero haud exiguo recenſuit nuper Clariſſimus Sturmius, Prof. Altorf. peculiari diſſertatione de hâc materiâ. Nimirum, eodem ibi referente, Ariſtoteles paſſivum ſive materiale τȢ κυήματΘ ſive πρώτȣ μίγματΘ principium ſtatuit eſſe portionem quandam ex ſanguine menſtruo à matre ſuppeditatam, organorum verò elaborationem ex illâ rudi & homogeneâ materiâ adſcribit ſemini maſculino, tanquàm activo principiô. Schegkius, Sennertus, aliique allegant Vim quan-

dam plasticam, cui opus istud adscribunt. Cartesius utrumque tàm maris quàm fœminæ semen partim materiæ partim agentis vices obire credens, ea sibi mutuò fermenti loco esse putat, & instar confusæ duorum liquorum mixturæ ita calefieri, ut nonnullæ eorum particulæ parem cum igne agitationem consequentes, dilatentur, premantque alias, hâcque ratione paulatim eo disponant modo, qui ad membra formanda requiritur. Nathanaël Highmorus Anglus existimat, maris pariter & fœminæ semen è massa sanguinis ope testium ita elaborari, ut atomi quædam singulorum corporis membrorum ac viscerum nutritioni destinatæ inibi colligantur, ac ordine quodam suo reponantur, sed spirituales magis ac elaboratiores in testiculis masculorum; corporales magis & crassiores in testibus fœmellarum: in congressu verò istas hisce, prout sibi mutuò respondent, ita conjungi, ut cùm atomi spirituales masculini seminis solæ idoneo loco exceptæ seipsas essent in propriò situ ac ordine, quem in corpore nutriendo habuissent,

buiſſent, diſpoſituræ quidem, ſed methodum ac figuram non diu retenturæ cum fœmineis craſſioribus ſui quæque ordinis conjunctæ, ſtabilitatem quaſi ad formam animalis perduraturam neceſſariam acquirant &c. Ei affinis eſt Honorati Fabri hypotheſis, quâ germen, quod genituræ maris ineſt, germini fœminini ſeminis in utero tanquàm in propriâ glebâ ſato, indeque jam propullulanti, putat inſeri, ſic ut ex inſitione germinis maſculini in fœmineum, mixtum quaſi tertiumque germen (ſicut è trunco & inſerto ſurculo planta una) exoriatur, & ad modum plantæ ex utero propullulet, ac deinceps blando uteri calore fotum per aſſumtum ex matre ſuccum nutritium ſenſim augeſcat & explicetur. Harveus ſtatuit, actuoſum principium in conceptu animalis à mare ſuppeditatum, à calore ſolis & uteri poſtmodum excitandum, efficiens quidem eſſe, ſed merè inſtrumentale, artificium autem & providentiam (quam in operibus ejus cernimus) non ab ipſo, ſed à DEO procedere; rectèque ac piè eum reputare, qui re-

rum omnium generationes ab eodem illo æterno, atque omnipotente Numine deduxerit, à cujus nutu rerum ipſarum univerſitas dependet. M. Perrault Academiæ Regiæ ſcientiarum membrum, & Facultatis Medicæ Pariſienſis Doctor, in opere Gallico, cui titulum fecit *Eſſais de Phyſique tom. 3. c. 8.* poſtquam teſtatus eſt, doctrinam Philoſophorum hactenus proponi ſolitam de quadam facultate formatrice, eſſe vanam & parùm ſolidam, novam quandam hypotheſin proponit de generatione, quam ſequentibus verbis explicat: *Mon hypotheſe eſt donc, que dans la creation du monde les corps ont eu de deux ſortes de formes, qu' aux uns la forme a eſté donnée tres ſimple & ſeulement ſimilaire, & que les autres en ont eu une tres compoſée & organique. Que les corps du premier genre ſont les Elemens, qui par leurs differentes liaiſons, font de mixtes capables de devenir la nourriture des plantes, de meſme que les plantes ſont faites pour nourrir les animaux. Que les corps du ſecond genre ſont les corps capables d' avoir vie fournis de tous les organes*

ganes necessaries à leurs fonctions, mais tellement petits qu' il leur est impossible d' en exerce aucune; & qu' en cet éstat estant meslez parmi les corps inanimez ils attendent l' occasion de rencontrer une substance assez subtile & disposée comme il faut pour penetrer les conduits etroits de leurs petits organes, & les rendre propres à recevoir la nourriture qui leur doit faire acquerir une grandeur convenable: & alors il leur arrive ce que l' on appelle generation, qui n' est rien autre chose, que ce qui rend ces petits corps capables de recevoir la nourriture par l' ouverture & le developement de leurs parties serrées les unes contre les autres: d' ou il s' ensuit, que les actions par lesquelles la nourriture se fait, ne sont differentes de celles qui servent à la generation, qu' en ce que l' une se termine à la conservation de l' individu, & que l' autre a pour fin celle de l' espece; & que la subtilité de l' humeur, qui doit faire la nourriture, n' a pas besoin d' estre si exquise, n' ajant par des conduits si étroits à penetrer, i.e. *hac est igitur hypothesis mea, Corpora*

in primævâ mundi creatione duorum generum formas accepisse, quibusdam corporibus datas fuisse formas simplicissimas & similares tantùm, aliis verò concessas fuisse formas admodùm compositas & organicas. Prioris generis corpora esse elementa, quæ variis & differentibus suis commissuris & conjunctionibus faciunt mixta, quæ mixta ut plantarum nutritioni inserviant, effecta sunt idonea, quemadmodum & plantæ factæ sunt, ut animalium nutritioni cedant. Secundi generis corpora, vitæ esse capacia, & omnibus organis, functionibus suis necessariis, instructa, sed adeò parva, ut ne unam suarum functionum exercere queant; taliaque & hoc in Statu aliis corporibus inanimatis permixta, præstolari, illa, occasionem, substantiam satis subtilem & dispositam, nanciscendi, quò penetrent angustissimos suorum organorum meatus, hosq; reddant idoneos nutrimentum recipiendi, utque debitam acquirant magnitudinem; tuncque illis accidit id, quod vocatur generatio, quæ nihil aliud est, quàm collata his parvis corporibus capacitas nutrimentum recipiendi, per aperturam & expli-

explicationem partium suarum consertarum & arctissimè sibi cohærentium; Undè sequitur, actiones, quibus fit nutritio, non differre ab illis actionibus, quæ generationi inserviunt, nisi in hoc, quòd illæ terminentur ad individui conservationem, hæ verò speciei conservationem pro fine habeant, neque humorem, qui nutrimentum præstare debet, adeò subtilem & exquisitum esse debere, siquidem meatus, quos ut transeat oportet, non adeò sint angusti, ut eos penetrare non possit. Idem Author in præfatione Operis mentem suam de Viventibus breviter ita exponit, nim. *avoir tous esté creez dés le commencement du monde, en sorte que lors qu'on croit que ces estres sont engendrez, ils ne font que recevoir un accroissement qui les rend capables des fonctions de la vie*, id est: *Singula ab initio mundi fuisse creata, ita ut quando hæc Entia creduntur generari, augmententur tantùm, hocque noviter accepto augmento, vitalium functionum reddantur capacia.* & pro hac hypothesi adducit Hippocratem l. 1. de Diæta, cujus verba hæc sunt: No-

μίζεται παρὰ τῶν ἀνθρώπων τὸ μὲν ἐξ ἅδου ἐς φῶς αὐξηθὲν γενέσθαι. οὐ δὲ οἷόν τε τὸ μὴ ὂν γενέσθαι. ἀλλ' αὔξεται πάντα, i. e. *homines existimant, id quidem quod ex orco in lucem augetur, oriri. Id autem quod non eſt, non generatur, ſed augentur omnia.* Supra laudatus Clariſſimus Sturmius, poſtquam teſtatus eſſet, allegatas Veterum & Recentiorum ſententias de vi plaſticâ, de ſeminum fermentatione &c. ideò præprimis ſibi non ſatisfacere, quod Natura corporalis, omni conſilio ſapientiaque deſtituta, ejusmodi artificioſiſſimas ſtructuras, quales in plantis animalibusque cernuntur, efformare non poſſit, mentem ſuam his verbis exponit: *Deum, cùm ex nihilo condere hoc univerſum conſtituiſſet, probabile eſt, elementaribus materia particulis homageneis & organicâ diſpoſitione carentibus, alia quoque hujusmodi organizata punctula, ſive plantarum animaliumque futurorum lineamentis ſubtiliſſimis jam expreſſa corpuſcula innumera ſuperaddidiſſe, quæ Natura paulò poſt conſtituenda enutrire & augere ſenſim in perfectas plantas & animalia*

lia posset. th. 18. Modum verò, quo sapientissimum Numen per media naturalia in toto Generationis negotio ubique concurrentia opus suum mirabile peragere videatur, dum explicare aggreditur, existimat, ea omnia, quæ Natura, divinâ virtute per ipsam generaliter operante, ad generationis opus conferre potest, hæc esse: nimirum punctula seminaria mediante sanguine circulante vel analogo huic succo nutritio imperfectiorum animalium & plantarum, ad ovarium, tanquam solum genuinum, deportare, deposita ibi lentâ quadam nutritione paulatim explicare & augere: affuso suo tempore actuosiore quodam, per maris congressum aut analogam huic ex floribus inspirationem quasi quandam, principiô fibrillas omnes potentiùs laxare & ovula turgescentia pristinis radicibus nutritiis avellere, avulsa vel in uterum vivipararum vel aliò transmittere ac deponere: posita sic in utero, vel sub incubantium volucrium sinu, vel in terræ gremio, adjuvante nunc externo sanguinis, solis, aut alio quocunque propor-

tionato

tionato calore, laxatiores modò radiculas in uteri aut circumflui liquoris nutritii ambitũ, aut in terræ profundiora longiùs exporrigere, ingeſtoque nunc paulò craſſiore ſucco, quàm hactenus potuerat admitti, celeriora etiam lineamentorũ augmenta procurare; atque ita ſolo motu corporeo (qui ſolus etiam naturæ corporeæ vires abſolvere videatur) reliquos generationis proceſſus omnes perficere. th. 17. Et th. 20. per quandam quaſi ἀνακεφαλαίωσιν concludit, veram & originalem organici corpuſculi fabricam & formationem (partem generationis præcipuam) ſolius Dei omnipotentiæ ſpecialiter operanti tribuendam eſſe: Naturæ verò corpuſculi jam penitus formati ſucceſſivam enutritionem & augmentationem relinqui, quâ partes & viſcera omnia nonniſi evolvendo & per augmenta corporea magis magisque viſibilia reddendo, in ſenſu vocis maximè proprio producat, non efficiat. Denique th. 21. ſeqq. cum prius laudato Dn. Perraulto oſtendit, ex hactenus expoſita hypotheſi plurimas difficultates in aliorum ſen-

ſententiis ferè inextricabiles facilè ſolvi poſſe v. g. de generatione ſponte naſcentium ſive plantarum ſive animalium imperfectiorum; de germinatione plantarum annuâ, de animalium quorundam metamorphoſi &c. Malebranchius in Opere gallico de la Recherche de la Verité tom. 1. l. 1. c. 6. non ſaltem eandem ſententiam tenet, quòd nempe natura nil aliud faciat, quàm *developper* explicare ſeu dilatare illud, quod jam priùs formatum exiſtit, ſed & eousque progreditur, ut exiſtimet, citra abſurditatem dici poſſe, quòd in unico pomi acino ſint pomi, poma & ſemina pomorum in ſecula infinita, aut ferè infinita, obſervatâ proportione pomi perfecti ad pomum in ſemine ſuo, idque porrò extendit ad animalia, tandemque concludit, omnium hominum animantiumque corpora, quæ naſcitura ſunt usq; ad conſummationem ſeculi, fuiſſe probabiliter producta à creatione mundi. Conf. Nehem. Grew, Societatis Regiæ Anglicanæ Secretarium, Rob. Boyle & M. Dedu, Medicum Montispeſſulanum in tractatu gallic. cui titulus:

tulus: *Anatomie & Ame des Plantes.* Nobis animus non est, singulorum Philosophorum vel Medicorum de hoc argumento sententias discutere, & quid vel veri vel falsi iis insit aut quâ ratione secum invicem forsan conciliari possint, inquirere. Id saltem à Theol. negligi non debere arbitramur, quod post tã varias à variis Philosophis ab antiquis temporibus prolatas & propugnatas sententias celeberrimi inter modernos Philosophi modò laudati à primâ rerum omnium creatione veram sententiam arcessendam esse statuant. Nimirum cùm quæstio facti sit, quid Omnipotens rerum omnium Creator in rerum primordio fecerit, & quo ordine in singularum Creaturarum productione processerit, cumque hujus rei certior notitia haberi non possit, quàm ex historiâ Creationis ab ipso Creatore Mosi dictatâ & inspiratâ, imò cùm primæva rerum omnium creatio fidei objectum sit, juxta illud Apostoli: *fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fiant.* Ebr. 11. v. 3. ideò Theologi est, veram de hoc puncto doctrinam

nam

nam è ſacris literis eruere & pernoſcendam aliis proponere. Et perſuaſi ſumus, cùm laudati modò recentiores Philoſophi accurato naturæ ſcrutinio eò deducti ſint, ut è perpetuâ Naturæ in plantis animalibusque producendis operatione, quid in primâ rerum creatione à DEO factum ſit, probabiliter concluſerint, mentem animumque planè certum ac indubium reddi poſſe, ſi ad ea, quæ de hoc argumento Spiritus Sanctus docuit, paulò diligentiùs attendat. Evolvemus itaque antiquiſſimum unaque certiſſimum & ob θεοπνευςίαν planè infallibilem ſcriptorem Moſen, & quid de plantarum animaliumque primâ productione referat, conſiderabimus, indeque legitimè inferemus, quid de hodiernâ tùm plantarum tùm animalium productione ſtatuendum ſit. Dividemus verò conſiderationem noſtram in duas partes, & primò de plantis, deinceps de animalibus, utpote rebus non uno nomine diſtinctis agemus.

SE-

SECTIO I.

DE PLANTIS.

DE Plantis ita videtur statuendum esse, nimirum DEum ter Opt. Max. terræ primo die creatæ, atque tùm inani & vacuæ die tertio superaddidisse ac indidisse plurima plantarum futurarum corpuscula, quæ Natura enutrire & augere sensim in perfectas plantas posset ac deberet.

1. Antequam thesin hanc firmemus, quædam præmonebimus, quæ omninò notanda esse arbitramur. Nimirum observandum est: 1. Terram primo die creatam fuisse inanem & vacuam. Id enim dicit Moses Gen. 1. v. 2. *Inanem*, inquam, hebr. תֹהוּ i. e. nihil, puta: non ratione substantiæ, cùm jam creata esse supponatur, sed ratione ornatus, distinctionis, & rerum naturalium, quæ sequentibus diebus eidem accesserunt. Sic enim hanc vocem in sacris usurpari, notum est. Unde deno-

denotat urbem devastatam, pristinoq; nitore ac ornatu destitutam. Jesa. 24. v. 10. terram eodem modo comparatam. Jer. 4. v. 23. in specie desertum Arabiæ sic appellatur. Deuter. 32. v. 10. *Vacuam*, hebr. וָבֹהוּ inanitatem, quâ voce præcedens magis explicatur, unde iis conjunctim positis Jer. 4. v. 23. designatur terra ex judicio divino formâ artificiali. h.e. culturâ & ornatu ab hominibus addito destituta, ut nullum dubium esse debeat, designari h. l. terram rebus naturalibus seu ornatu per creationem sequentium dierum addendo v. gr. plantis adhuc destitutam.

2. Observandum est, quâ ratione DEUS voluerit primam plantarum productionem fieri. Moses Gen. 1. v. 11. testatur, dixisse potentissimum Creatorem die tertia: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum, juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram.* Verba singula merentur considerari. Dicit primò: *Germinet*, Hebr. תַּדְשֵׁא herbascat, seu spon-

ſponte proferat, ſicut prata herbas proferunt. Sic enim hoc verbum adhibetur Joël. 2. v. 22. Et ſic modus innuitur, quo DEUS voluit plantas primò produci, videlicet per germinationem ſeu efflorescentiam, qualis eſt herbarum & aliorum ſponte naſcentium in pratis. Deinceps ſubjectum inſimulque cauſa ſecunda Creatori ſubordinata deſignatur, in quâ, & per quam ſeu à quâ (hæc enim eſt emphaſis verbi activi: *germinet*) germinationem iſtam fieri voluit, nimirum: *terra.* In fonte additum eſt He emphaticum הָאָרֶץ, hæc terra ſeu illa terra, quæ nempè die primo producta, hactenusque inanis & vacua erat, ut modò viſum ex v. 2. quæ & arida dicitur v. 9. adeoque eousque nullâ germinandi virtute prædita, jam verò per verbum hoc divinum (efficax ſane & potententiſſimum, ſuoque effectu nequaquam deſtitutum) vires germinandi ſeu plantas producendi non minùs accipiens, quàm poſtea aquæ & terra ejusdem divini verbi efficaciâ facultatem acceperunt producendi reptilia & terræ animantia v. 20. 24. Sequitur

tur finis seu terminus germinationis, h. e. effectus ad jussum Creatoris à terrâ & ex terrâ producendus. Hunc Moses appellat primò *herbam*. In fonte est vox דֶּשֶׁא notans herbam voluntariam & insativam, qualis in deserto nascitur, ut patet ex Joël. 2. v. 22. poniturque singularis pro plurali per enallagen hebræis usitatam. Et sensus est, quòd terra hactenus arida virorem jam debeat induere producendo gramen seu herbas. Additur verò altera vox עֵשֶׂב, denotans h. l. herbam adultam, ut patet ex adjuncto semine, cùm præcedens vox videatur notare herbam tenellam è terrâ primùm egredientem, ut ita omne genus vegetabilium, herba tenera & adulta designetur; Iterum per enallagen numeri singularis pro plurali. Et hoc posterius, ut diximus, apparet, quia statim additur: *facientem semen*, hebr. מַזְרִיעַ זֶרַע *sementantem semen*, uti benè vertunt Tremellius ac Junius, ut indicetur, talem herbam designari, quæ ita adulta sit, ut semen suum jam emittat & gerat, è quo in posterum ejusdem speciei herba provenire queat,

queat, vel naturaliter, si semen in terram decidat, vel accedente culturâ. Hanc enim vim & emphasin esse vocis מַזְרִיעַ *sementandi*, patere potest ex Lev. 12. v. 2. ubi idem verbum adhibetur de muliere emittente semen eo fine eoque effectu, ut deinceps prolem enitatur. Cæterùm non absque fundamento distinctionem inter herbam teneram & adultam à nobis hîc statui, patescit, tùm quia alia differentia inter ista duo vocabula non occurrit; tùm quia dictam expositionem vocis דֶּשֶׁא suppeditat Jesaias c. 66. v. 14. ubi eidem tribuit efflorescentiam, quæ aliàs flori & fructibus contradistinguitur. Num. 17. v. 8. Hactenus igitur de primo genere plantarum Deus locutus erat, nimirum de herbis. Sequitur alterum genus, quod unà cum præcedente totam latitudinem plantarum exhaurit, nempè arbores. De his in consilio seu mandato suo pergit loqui sapientissimus Creator, dicens: *&* *lignum pomiferum*, subaudi: proferat terra. Id enim ἀπὸ κοινοῦ hîc repetendum esse, vel huc omninò pertinere & vim suam extendere

dere, ipsa textus inspectio exigit. In fonte est: עֵץ פְּרִי *lignum fructus*, i. e. fructiferum, posito genitivo loco adjectivi, more hebræis usitato. Cæterùm apud hebræos lignum pro arbore poni notum est. Nec opus videtur admonere, quod enallage numeri adhuc duret. Lignum verò fructûs seu fructiferum intelligi hîc debere non solùm in potentiâ, sed simul in actu, seu è quo fructus pendeant, innuit textus cùm additur: *faciens fructum*, i. e. fructus suos ipso actu proferens. Hæc enim in sacris usitata est significatio hujus phraseos: *facere fructum*, ut actualem fructuum prolationem significet. Vide Psal. 107. v. 37. *Seminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum proventus.* Sic Jesa. 37. v. 31. *Mittet id, quod salvatum fuerit de domo Juda & quod reliquum est, radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Sic Jer. 12. v. 2. *plantasti eos & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum.* Sic Hos. 9. v. 16. *Percutietur Ephraim, radix eorum exsiccabitur, fructum nequaquam facient.* Hactenus

ctenus alterum plantarum genus, nempè arbores, descriptum fuit à prolatione fructuum. Additur porrò ejusdem descriptio ab internâ constitutione, ejusque divisio in varias species, unde subjungitur: *juxta genus suum.* hebr. לְמִינוֹ. Vox מִין h. l. adhibita sine dubio notat genus vel speciem, quâ unum ab alió distinguitur non solùm, sed & in esse suo specifico constituitur. Adhibetur enim infra de variis generibus piscium ac reptilium. v. 20. nec non animalium terrestrium. v. 24. item de variis generibus seu speciebus animalium mundorum ac immundorum Lev. 11. ubi sæpiùs occurrit, ut dubium nullum esse debeat, etiam h. l. varias arborum species designari. Porrò mentio fit seminis, his verbis: *Cujus semen in semetipso sit.* Verba in fonte sic posita sunt, ut *To in ipso* citra absurditatem tàm ad lignum seu arborem, quàm ad fructum ligni referri possit. Reverâ enim quælibet arbor punctula seminalia sibi quoad speciem similia in se continet, & fructus, quos proferunt diversarum specierum arbores, semen suum

suum in se continent, è quo ejusdem speciei arbores propagari possunt, ut per experientiam omnibus notum est. Denique additur locus plantarum: *super terram.* Ad ejus enim ornatum arbores divinitus destinatæ sunt. Hoc fuit consilium seu mandatum divinum de primâ plantarum productione, in quo exprimitur α. modus productionis, verbo *germinandi.* β. subjectum unàque causa efficiens secunda productionis, nempe *terra.* γ. terminus productionis intentus, nempè *plantæ*, dividendæ generaliter in *herbas* tùm teneras tùm adultas, & *arbores* fructiferas, specie diversas, & semen suum in se continentes.

3. Observandum est, quâ ratione hoc mandatum potentissimi Creatoris executioni datum sit. Id refert idem Moses Gen. 1. v. 12. his verbis: *Et protulit terra herbam virentem: & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum & habens semen secundùm speciem suam.* In fonte est verbum וַתּוֹצֵא, exire fecit, eduxit, produxit, à radice יָצָא exivit, quod ver-

bum deeductione populi Iſraël ex Ægypto ſæpiſſimè in ſacris adhibetur, nec non de nativitate hominis Job. 10. v. 18. *quare de vulvâ eduxiſti me?* in quo opere matrem agere indubium eſt. Unde apparet, hoc verbo non minùs, quàm præcedente verbo *germinet*, actionem quandam ſeu productionem terræ adſcribi, puta: ex viribus divinitus conceſſis per verbum תַּדְשֵׁא *germinet*, ut vidimus. Nimirum quemadmodum Deus Ijobum extraxit ex utero materno, matre ejus non merè paſſivè ſe habente, ſed unà agente & laborante: ita Deus è terrâ panem educit. Pſ. 104. v. 14. & primas plantas produxit, terrâ ipsâ non merè paſſivè ſe habente, ſed viribus divinitùs conceſſis cooperante ad productionem. Id quod porrò ex eo confirmari poteſt, quod in ſacris terræ tribuatur כֹּחַ vis, virtus, robur, ſeu facultas agendi. Gen. 4. v. 12. quæ vox aliâs de robore Samſonis uſurpatur. Jud. 16. v. 5. 6. Itaque infallibili Moſis teſtimonio terra primò producta & in tertiam usque diem omni vi & facultate germinandi deſtituta

acce-

accepto divino mandato & per mandatum novâ germinandi facultate omnia iſta produxit & quaſi ex utero ſuo protulit, quæ inde prodire ſapientiſſimus unà ac benigniſſimus Creator voluit, videlicet herbam tùm teneram, tùm adultam & ſemine ſuo ornatam, arbores item fructiferas, tùm ſpecie diverſas, tùm fructibus ac ſeminibus ſuis inſigniter exornatas. Unde (quod obiter hîc inſertum volumus) firmiter ſatis colligere licet, primùm mundi tempus fuiſſe autumnale, ſeu tempore autumni mundúm conditum eſſe, quia nimirum Terra ad mandatum Creatoris produxit non modò herbam teneram, ſed & adultam & ſemine ſuo jam gravidam, ut & arbores non ſolum foliis ſed & fructibus & quidem maturis ornatas, ſeu in quibus jam ſemen erat juxta cujusvis ſpeciem, quod in tempus vernum haud quadrat, benè tamen in autumnale.

4. Obſervandum eſt, mandatum Domini: *germinet terra* &c. tertiâ mundi die pronunciatum, non tùm ſaltem efficax fuiſſe, ſed in hodiernum usque diem vim

ſuam exercere in regno naturæ, ut quemadmodum virtute primævæ benedictionis ad bruta & homines dictæ: *creſcite & multiplicamini* &c. in hodiernum usque diem generantur bruta & homines, ſic virtute modò allegati mandati: *germinet terra* &c. in hodiernum usque diem quotannis e terra exeant innumeræ plantæ. Neque aliud innuere Deus voluit, quando poſt diluvium, repetito quaſi priſtino mandato de fertilitate terræ, hacque denuò quaſi impræ gnatâ, ad Noachum dixit: *cunctis diebus terra ſementis & meſſis, frigus & aſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent.* Gen. 8. v. 22.

His præmiſſis & in timore Domini penſitatis, exiſtimamus, theſin ſupra poſitam dilucidè oſtendi poſſe.

Primum argumentum deſumimus ex ipſo Creatoris mandato, quod continetur in verbo *germinet*, hebr. תַּדְשֵׁא quod notare productionem herbarum naturalem, qualis in pratis eſt, ex Joële ſupra annotavimus. Sic autem colligimus: Uti ſe habent prata in ordine ad emittendas herbas ſeu gramina,

ita

ita in primordio rerum, ſpeciatim die tertio, poſt pronunciatum à Creatore mandatum hoc, ſeſe habuit univerſa terra, habètque ſe hodienum in ordine ad emitttendas plantas. Hujus propoſitionis connexio probatur ex identitate verbi germinare, quod à Moſe de prima plantarum productione, à Joële de annuâ earum è terra germinatione uſurpari audivimus; ut nulla ratio appareat, cur non utrobique eandem ſignificationem obtineat. Subſumo: Atqui ita ſe habent prata in ordine ad emittendas è ſinu ſuo herbas, ut earum ſemina h. e. exigua corpuſcula accedente nutritione augenda & in perfectas plantas explicanda contineant. Hæc ſubſumtio patet per experientiam, præprimis adhibitis hodie uſitatis microſcopiis, quibus mediantibus ad oculum demonſtrari poteſt, plantulam ſucceſſu temporis enaſcituram jam antea in ſemine contineri. Unde ſupra allegatus Malebranchius l. c. ad eandem experientiam provocans confidenter ait, dubitari non poſſe, *que le germe d' un oignon de tulippe ne renferme une tulippe toute en-*

te entiére i. e. *quin cepa tulipæ integram tulipam in ſe contineat.* Inde concludimus: Ergò in primordio rerum, ſpeciatim die tertio, poſt pronunciatum à Deo mandatum hoc, eodem modo ſe habuit univerſa terra, ut nempè plantarum ſemina ſeu exigua corpuſcula accedente nutritione augenda & in perfectas plantas explicanda continuerit, eodemque modo ſe habet hodienum.

Dices, huic argumento parum roboris ineſſe, quia ſimiliter ex eodem fundamento aliquis argueret: Uti ſe habuit in primordio rerum Terra in ordine ad emittendas plantas, ita ſe habent hodienum prata in ordine ad emittendas illas. Atqui ita ſe habuit Terra, ut ex inviſibili ſemine ſuppeditaverit ſuas plantas. Ergò adhuc hodie prata ex ſimili ſemine plantas producunt, quod eſſet contra experientiam, & ſupervacaneam faceret omnem ſationem.

Reſpondeo; comparationem non eſſe extendendam ultra ſuum tertium, illud videlicet, quod à verbo *germinet*, ſuppeditatur. At in illo tertio non continetur viſi-

bilitas

bilitas vel invisibilitas seminis, quippe quæ ad germinationem se habet accidentaliter seu contingenter, sed modus productionis, ut supra visum est in verbi hujus evolutione. Igitur 2. limitatur major propositio: Uti se habuit in primordio rerum Terra in ordine ad emittendas plantas quoad germinationem, eandem respiciendo formaliter & secundùm se, ita se habent hodienum prata in ordine ad emittendas illas; concedo majorem. Atqui ita se habuit Terra quoad germinationem, eandem respiciendo formaliter & secundam se, ut ex invisibili semine suppeditaverit suas plantas, nego minorem. Ratio negationis est hæc, quia ad germinationem formaliter & secundùm se non requiritur, ut procedat ex semine invisibili absque projectione in terram ab homine factâ, sed sufficit seminis seu exigui corpusculi accedente nutritione auctio & in perfectam plantam explicatio, præscindendo, an corpusculum illud seminale citra hominis ullius observationem in terrâ latuerit, an ab homine eò projectum vel satum fuerit, quod postremum

mum omninò necessarium est fieri, si quis hanc vel illam præcisè plantam ex hâc vel illâ portione terræ prodire velit, non verò herbas naturaliter egressuras. Imò 3. argumentum nostrum adeò firmo stat talo, ut & etiam hæc argumentatio tota concedi possit, negatâ saltem ulteriori illatione seu consequentiâ. Nimirum adhuc hodie ita se habent prata & pecorum pascua in ordine ad emittendas plantas, ut ex invisibili semine seu citra hominis sationem eas emittant, id quod adeò non est contra experientiam, ut cuivis ad oculum pateat. Si quis inferre velit, supervacaneam fore omnem sationem, negatur sequela, ob rationem jam dictam, quia qui hanc præcisè herbam vel plantam, non aliam, in hoc præcisè solo vult crescere, cujus semen an in eo latitet, nescit, imò tantùm non certus est, ibi non latere, sationem omninò & culturam adhibere debet, quâ tamen adhibitâ deprehendet germinationem fieri omninò eandem cum illâ, quæ in pratis vel pascuis citra præcedaneam sationem fieri solet.

Insta-

Inſtabis, vix defendi poſſe, quòd pronunciatum divinum: *germinet terra* &c. vires ſuas adhucdum exerat in regno naturæ: Obſtare enim conſimile mandatum eidem terræ datum: *producat terra animam viventem*. Gen. 1. v. 23. unde quis ita argumentari poſſet: Quæ ratio eſt primi mandati divini ad Terram de producendis primâ vice animalibus, ea quoque eſt ratio mandati divini de producendis primâ vice plantis. Atqui ea eſt ratio primi mandati divini de producendis animalibus, ut hodie expiraverit. Non enim ampliùs è terra vel aquâ producuntur animalia. Ergò ceſſavit quoque vis & efficacia mandati divini circa terræ vegetabilia.

Reſp. 1. ſi argumentum hoc completè formetur, hæc concluſio emerget: Ergò ceſſavit vis & efficacia mandati divini de producendis primâ vice plantis, ut, ſicut non amplius è terrâ vel aquis producuntur animalia, ita non amplius è terrâ producantur vegetabilia. Hæc concluſio manifeſtè non ſolùm eſt contra experientiam, quæ in-

finito numero vegetabilia quotannis è terrâ naſci oſtendit, ſed etiam contradicit Spiritui Sancto expreſsè teſtanti, quòd Deus hodienum educat panem מִן־הָאָרֶץ *è terrâ*, & quidem (quod innuere videtur He emphaticum) ex hac ipsâ terrâ, quæ primitus producta & mandato divino, de quo loquimur, imprægnata eſt. Adde, in fonte hîc eſſe vocabulum לְהוֹצִיא *ad educendum*, quod in deſcribendâ primâ vegetabilium productione à Moſe adhibitum terræque tributum fuiſſe ſuprà obſervavimus, claro ſatis indicio, Creatoris tanquam cauſæ primæ, & Naturæ, in ſpecie Terræ, tanquam cauſæ ſecundæ in producendis vegetabilibus unam eandemque ſeu indiviſam fuiſſe actionem primitùs & hodienùm eſſe. Unde & vulgò dici ſolet, mundi conſervationem nil aliud eſſe, quàm continuatam ejus creationem. 2. Quod concernit majorem propoſitionem, licet duo Dei mandata de producendis plantis & animalibus in multis conveniant, ſi tamen attendatur ad Creatoris voluntatem de propagandis in

regno

regno naturæ tùm plantis tùm animalibus, quæ omninò hic attendenda est, manifesta apparebit differentia. Cùm enim reptilibus & volatilibus ex aquâ primò productis Deus benedixerit, dicendo: crescite & multiplicamini. Gen. 1. v. 22. similiterque terræ animantibus in sexus distinctis facultatem & appetitum sibi simile per congressum generandi indiderit, tale quid de terræ nascentibus seu vegetabilibus non legitur. Quin potius, teste experientiâ in hodiernum usque diem, hanc legem Deus sanxit in regno vegetabili, ut quemadmodum Terra ad mandatum Creatoris primò produxit herbas & arbores, ita eodem officio porrò ac perpetim defungi debeat. Et huc respexit sine dubio sapientissimus Creator, cum terram producere jussit herbas sementantes semen, nec non arbores semen suum, quo se multiplicare queant, continentes. Unde facilè est colligere, si respiciatur ad propagationem perpetuam in regno naturæ, non esse unam eandemque rationem mandati divini de producendis plantis & anima-

libus, nec ſequi, ſi mandatum de producendis animalibus hodie vim ſuam non ampliùs exerit, idem de altero quoque mandato plantarum productivo dicendum eſſe. 5. Dubitari poteſt, an rectè dicatur, mandatum illud de producendis è terra vel aqua animalibus hodie expiraſſe. Cùm enim mandatum illud, ſecundùm totum ſuum complexum conſideratum, unà involvat benedictionem divinam de ſui multiplicatione, quæ in hodiernum usque diem, ut experientia teſtatur, vires ſuas exerit, ideò ad minimum reſpectu hujus non expiravit, licet prior ille modus productionis e terrâ & aquis ceſſaverit. Sed ſatis & nimium forſan prolixè de divino mandato.

Secundum argumentum deſumimus à ſubjecto ſimulque principio germinationis, quod eſt Terra. Dixit enim Deus: germinet *terra* herbam virentem &c. Inde colligo: Si ad mandatum divinum *Terra* debuit proferre primitùs, & vi ejusdem mandati debet hodienum proferre herbam virentem, arbores &c. tùm conſequens eſt, quòd ejus-

modi

modi corpora (licet in exiguâ quantitate, augenda deinceps per nutritionem & explicanda) in se continuerit primitùs & hodienum contineat. Sequela patet, quia nisi ea in se contineret, proferre non posset. Minor clara est ex textu.

Dices, concedi, quod Terra ejusmodi corpora ante eorum productionem in se contineat, verùm non formaliter, sed materialiter, non actu, sed virtute solùm & potentiâ.

Resp. 1. Si verum est, quod supra ex Malebranchio allegavimus, cepam nempè tulipæ (aliorum seminum eadem est ratio) integram tulipam in se continere, tunc per experientiam clarum evadit, quod Terra infinita ejusmodi semina in se continens corpora vegetabilium è sinu ejus prodeuntium in se contineat non solùm materialiter, sed & formaliter, non virtute solùm & potentiâ, sed actu ipso. 2. Si corpora vegetabilium in terrâ continentur materialiter saltem, non formaliter, difficile erit tenenti hanc sententiam, & forsan impossibile

bile explicare, quâ ratione rudis illa & informis materia, quæ in terra latere dicitur, formam suam specificam, quâ ab omnibus aliis speciebus distingui debet, accipiat. In Deum immediatè operantem ista formæ additio refundi non debet, nisi negare velis, Deum à productione novarum specierum quiescere, contra effatum Mosis Gen. 2. v. 2. In naturâ vix occurret principium, cui tutò ac certò illa formæ productio adscribi possit. Si verò dicatur non materialiter solùm sed & formaliter ejusmodi corpuscula in terrâ contineri & per nutritionem deinceps augeri & explicari, cadunt ejusmodi difficultates & plana omnia fiunt. Sed quid opus est multis? Persuasi sumus, hanc exceptionem per se ruituram, si porrò attendatur ad ea, quæ sequuntur.

Tertium argumentum desumimus à termino primævæ germinationis, qui dicitur fuisse herba virens, vel potius juxta præcedentem textus originalis evolutionem, herba tenera & adulta, nec non lignum frugiferum.

giferum. Hinc enim colligimus: Si vi mandati divini terra primitùs germinavit hodieque germinat ſeu è gremio ſuo profert *herbas virentes & arbores frugiferas*, conſequens eſt, quòd inde à prima creatione innumera plantarum corpuſcula in terrâ deliteſcant ſenſim nutrienda & augenda. Sequela probatur tùm ex emphaſi vocum דֶּשֶׁא & עֵשֶׂב quibus herbas & teneras & adultas deſignari ſupra obſervavimus, adeoque non materiam ſolùm plantarum, ſed ipſas plantas; tùm ex nativâ ſignificatione vocis עֵץ lignum, qua arborem, non ſaltem materiam ejus, deſignari indubium eſt. Certè ſolida ratio dari non poteſt, quare à proprietate literæ recedendum ſit, & cùm alia ratio germinandi in regno vegetabili hodiè non conſpiciatur, quàm ea, quæ à Moſe in primordio rerum facta eſſe dicitur, cur ſtatuendum non ſit, æquè hodie e terræ gremio per germinationem prodire plantarum corpuſcula prius ibi formata, quàm tertia die primæ hebdomadis herbæ teneræ & adultæ è terræ gremio, in quo per manda-

tum

tum Creatoris formatæ erant, prodierunt. Confirmatur hoc argumentum, ejusque veritas planè evidens redditur, cùm per microſcopia demonſtratur in ipſis ſeminibus latere corpuſcula deinceps per nutritionem augenda & explicanda.

Quartum argumentum peti poteſt ab attributo ſementationis, ſeu quia herba primitùs à Deo producta in hiſtoria Moſis dicitur מַזְרִיעַ זֶרַע & inferius v. 29. ejusdem capitis זֹרֵעַ זֶרַע, *ſementans* vel ſerens ſemen. Jam notum eſt ex phraſeologicâ biblicâ, quid vocabulum *ſeminis* communiter notet in ſacris literis, cùm de hominibus uſurpatur, videlicet ſuppoſitum ſeu perſonam ex alio deſcendentem, unde poſteri alicujus dicuntur ſemen ejus, ſicut & ipſe Salvator noſter dicitur ſemen mulieris Gen. 3. Cùm verò de vegetabilibus adhibetur, notat granum ſeu corpuſculum, e quo terræ commiſſo certi ac determinati generis planta enaſcitur. Unde Moſes in hâc ipsâ hiſtoriâ cùm de arboribus loquitur, cuilibet in-

eſſe

esse dicit זַרְעוֹ *semen suum*, h. e. ejusdem determinatæ speciei. Notum itidem est, quid verbum *serendi* vel *sementandi* in sacris denotet, nimirum, cùm de hominibus sermo est, talem seminis emissionem, quâ fœtus concipitur suo tempore in lucem edendus Lev. 12. v. 2. cùm verò de vegetabilibus, seminis in terram projectionem, ut ejusdem speciei planta inde nascatur, sive semen naturaliter decidat, sive à satore vel agricola spargatur, cujus mentio fit Jesa. 55. v. 10. Luc. 8. v. 5. Inde colligo: Si plantæ, in primordio rerum à Deo ex terrâ productæ, ita productæ fuerunt, ut quælibet semen suum specificum non continuerit solùm, sed & sementandi facultatem à Creatore acceperit, consequens est, innumera plantarum corpuscula fuisse primitùs terræ indita, deinceps per nutritionem augenda & explicanda. Sequela probatur ex emphasi vocabulorum seminis & sementandi. Si enim hæc duo vocabula, cùm translativè saltem de hominibus usurpantur, eam significationem habent, ut vocabulum seminis denotet

ipsam

ipſam prolem à parentibus ſuis deſcendentem ſeu individuum ejusdem ſpeciei, verbum verò ſerendi vel ſementandi talem ſeminis emiſſionem deſignet, quâ proles ejusdem ſpeciei concipitur, à fortiori iſta ſignificatio his vocibus ineſſe debet, quando de terræ naſcentibus adeoque propriè accipiuntur, ut nempè ſemen denotet corpuſculum novi in eâdem ſpecie individui, augendi in poſterum per nutritionem, ſi ſementatio accedat, h. e. ſi terræ committatur, verbum verò ſementandi ſeu ſerendi idiotiſmo hebraico deſignet facultatem vel potius actum plurima ejusmodi corpuſcula vel individua, fœcundæ matris inſtar, emittendi vel enitendi. Qui de argumenti hujus valore dubitat, amandari rurſus poteſt ad microſcopia, quibus ad oculum demonſtrari poteſt, verum eſſe, quod diximus.

Quintum argumentum deſumi poteſt à diſcrimine plantarum ſpecifico, indicato à Moſe per vocem לְמִינוֹ, *juxta genus vel ſpeciem ſuam.* Unde colligo: Si terra ex mandato divino primitùs debuit debetque hodie-

hodienum proferre plantas ſpecie differentes, conſequens eſt, quòd corpuſcula plantarum ſpecie differentium jam inde à condito mundo in ſe contineat. Sequela probatur, quia niſi ea in ſe contineret, vel emittere ac proferre non poſſet, vel emittenda è nihilo produceret, aut immediatè à Deo creata acciperet, quod poſterius utrumque abſurdum eſt, ut conſtat. Confirmari poteſt hoc argumentum è v. 12. ubi differentia plantarum ſpecifica ſemini à plantis emittendo expreſsè tribuitur, dicente Moſe: protulit terra herbam virentem & facientem ſemen *juxta genus ſuum.* Certè ſemen unius plantæ ab alterius plantæ ſemine ſpecificè diſtinctum non eſſet, niſi per formam ſuam ſpecificam ad certam ſpeciem jam determinatum eſſet, cùm forma prius det eſſe rei, antequam eam ab aliis diſtinguat.

Sextum argumentum deſumimus à mandati divini hactenus conſiderati executione, quam Moſes innuit verbo: *protulit.* v. 12. In fonte eſt וַתּוֹצֵא, exire fecit, eduxit. Verbum

bum eſt, ut ſuprà monuimus, quod de eductione populi Iſrael ex Ægypto frequenter uſurpatur, nec non de nativitate hominis, quam Ijobus c. 10. v. 18. appellat eductionem de vulvâ. Inde colligo: Uti ſe habuit Ægyptus reſpectu Iſraëlitarum ante eductionem, & uti ſe habet uterus matris reſpectu prolis ante puerperium: ita ſe habuit primitùs habetque ſe adhuc terra reſpectu plantarum ante earum germinationem ſeu efflorescentiam. At ita ſe habuit Ægyptus reſpectu Iſraëlitarum ante eductionem, ut Iſraëlitæ magno numero ibi exiſterent, licet in anguſtias coarctati, dilatandi poſtea in terrâ Canaan. Similiter ita ſe habet uterus maternus reſpectu prolis ante puerperium, ut ibi exiſtat, licet intra anguſtos terminos concluſa, ac deinceps accedente nutritione augenda & in ſtaturam perfecti hominis dilatanda. Ergò eodem modō ſe habuit primitùs habetque adhuc terra reſpectu plantarum ante earum germinationem ſeu efflorescentiam, ut nempè earum corpuſcula intra anguſtiſſimos terminos concluſa contineat,

neat, explicanda postmodum & dilatanda super terram. Minor est extra dubium posita. Majoris connexio procedit à pari, observato usu verbi hujus biblico.

Septimum argumentum suppeditat Christus Salvator noster Matt. 13.v. 31.32. ubi sequente similitudine utitur: *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum quispiam sevit in agro suo. Quod minimum quidem est omnium seminum, quum autem excreverit* (gr. αὐξηθῇ, auctum fuerit) *maximum est olerum & arborescit, adeò ut veniant volucres cœli & nidulentur in ramis ipsius.* Hîc sermo est de grano sinapis, tanquam semine ad certam speciem jam determinato. Illud cùm transit in plantam, dicitur augeri, & auctione istâ ita explicari vel dilatari, ut in arborem abeat, in cujus ramis volatilia nidulari queant. Profectò Salvator noster tantùm non in terminis stabilire videtur, quod hactenus diximus. Cùm enim grana sinapis, quæ isto tempore in arbores excreverunt, vel hodienum excrescunt, ejusdem plane naturæ sint, cum istis granis

granis, quæ terra vi mandati divini ſuperiùs conſiderati primitùs protulit, & cùm ab illis deſcendentia pariter à terrâ proferantur, negari non poterit, ea primitùs in terræ gremium virtute verbi divini illata fuiſſe, niſi dicere velis, ea hodiè immediatè à Deo creari, quod eſt abſurdum, utpote pugnans cum effato Spiritus Sancti, dicentis, quòd Deus quieverit ab omni opere, quod fecerat. Et confirmari hoc poteſt ex ipsâ Salvatoris applicatione. Certè regnum cœlorum ſeu regnum gratiæ, quod parvi ſeminis inſtar, in agrum projecti, in cordibus noſtris inchoatur, cùm parva pariter initia habeat, ſenſim ſenſimque augetur, donec latiſſimæ arboris inſtar ſeſe explicet. Quemadmodum igitur regnum cœlorum, cùm in corde inchoatur, idem eſt quoad ſubſtantiam ſeu formam ſpecificam, cum illo, quod deinceps virtute Spiritus Sancti latiſſimè explicatur, nec à priore tanquam ſemine ſuo differt niſi gradu: ſimiliter planta, ſub cujus imagine hoc myſterium repræſentare Chriſtus voluit, eadem eſt in ſemine ſuo, cum

cùm in terram projicitur, cum illa, quæ deinceps è terrâ ſuccreſcit & latiſſimè explicatur.

Dices, vix eſſe perceptibile aut vero ſimile, quòd in grano ſinapis aliisvé minutiſſimæ quantitatis ſeminibus, *v. gr.* papaveris, &c. non planta ſolùm inde naſcitura, ſed & innumeræ aliæ ex ejus ſeminibus porrò naſcituræ contineantur.

℞. 1. Contineri omninò, quia inde naſcuntur & naſcituræ ſunt porrò, uti experientia docet. Nec naſcerentur, ſed crearentur, ſi non antea ibi continerentur. 2. contineri ibidem & quidem non materialiter ſolùm, ſed & formaliter, licet in exigua quantitate, Chriſtus ipſe teſtatur, uſurpando verbum *αὐξηθῇ augendi*, ut viſum eſt. 3. id non eſſe vero diſſimile, ex aliis quoque ejusdem Salvatoris aſſertis & factis oſtendi poteſt. Nota eſt parabola de ſemine jacto in agrum quadruplicis generis. Matth. 13. v. 3. Marc. 4. v. 2. Luc. 8. v. 4. Ibi refertur de ſemine projecto in terram bonam: *dabat fructum* (ejusdem ſpeciei

cum grano seminali & jam formatum) *ascendentem & crescentem* (ecce augmentum!) *& adferebat unum triginta, & unum sexaginta, & unum centum.* Marc. 4. v. 8. Quàm igitur verum est & experientiâ manifestum, triginta, sexaginta, & centum grana tritici in eodem grano seminali præextitisse, cùm fructus ejus dici non possent, nisi in eo præextitissent, licet in unico illo grano, anteq. in terram projicitur, conspici nequaq. possint, tàm simile vero est, imò indubium nobis, etiam in minimæ quantitatis seminibus nasciturarum inde plantarum corpuscula jam contineri, licet à nobis videri non possint. Enimverò negari non potest, plantas è minimis ejusmodi seminibus nascituras esse eorum fructus. Si fructus, ergò formaliter seu formatis suis corpusculis in iis continentur. Sequela patet, quia fructus dicit non solam & rudem materiam, sed speciei certæ substantiam & quidem univocè eandem cum illâ, è quâ nascitur. 4. Videtur res illustrari posse ex historiâ miraculosæ cibationis, quæ refertur Matth.

14.

14. v. 19. ubi verba sic habent: *Christus acceptis quinque illis panibus ac duobus piscibus, suspiciens in cœlum benedixit: & quum fregisset, dedit discipulis* (τὰς, illos) *panes, discipuli verò turba. Et comederunt omnes & saturati sunt, sustuleruntque quod superfuerat fragmentorum, duodecim cophinos plenos.* Hic expreßè asseritur, non alios, quàm quinque illos, qui in promtu erant, panes quinquies mille Viris præter mulieres ac puerulos præmissâ Christi benedictione distributos esse, eo eventu, ut non singuli solùm satiati, sed & cophini fragmentis pleni superstites essent. Sanè non erat verosimile aut ratione humanâ perceptibile, quod quinque panes & duo pisciculi satiandis tot hominum millibus sufficiant. Unde Christo dicenti ad discipulos: *Date eis vos quod edant*: v. 16. responderunt: *non habemus hîc nisi quinque panes & duos pisces.* v. 17. Hôc tamen non obstante factum est, ut tot homines panibus non noviter creatis, sed iisdem, quibus antea instructi erant discipuli & quos accedente benedictione suâ

 di-

diſtribui Magiſter voluit, ſatiarentur. Et in hoc præcipuè conſiſtebat miraculum, quòd non pluribus quàm quinq; panibus tot hominum millia ſatiarentur, totque cophini fragmentis implerentur. Quid dicendum hîc, niſi Chriſtum exiguæ molis & numeri panes benedictione ſuâ ita extendiſſe vel dilataſſe, ut in alimoniam tot millium ſufficerent? Pariter igitur mirum alicui aut incredibile videri non debet, quòd in uno ſeminis grano centena imo aliquot millia ejusdem ſpeciei grana aut plantulæ lateant, evolvendæ ac dilatandæ per benedictionem divinam in regno naturæ operatione Dei ordinariâ, ſicut panes iſti artificiales in alimentum tot millium dilatati ſunt, operatione Chriſti miraculosâ. Eadem enim eſt vis benedictionis divinæ, ſive ordinariè, ſive extraordinariè exhibeatur vel diſpenſetur.

Octavum argumentum deſumimus ex alio ſimili, quo nempè Spiritus Sanctus ſub imagine plantarum è terrâ naſcentium futuram Reſurrectionem mortuorum univerſalem

ssiem adumbrat. Locus illustris est Jes. 26. v. 19. ubi Pagninus vertit: *Vivent mortui tui, sicut cadaver meum resurgent. Expergissimini & laudate habitatores pulveris, quia ut ros olerum ros tuus*; à quo parum abit Lutheri versio: Deine Todten werden leben/ und mit dem Leichnam aufferstehen. Wachet auff und rühmet/ die ihr liget unter der Erden. Denn dein Thau ist ein Thau deß grünen Feldes. Observamus 1. in fonte esse verbum הָקִיצוּ, evigilate, cognatum vocis קַיִץ æstus, quia tempore æstivo terræ nascentia quasi evigilant, quæ per hyemen videbantur quasi sopore demersa, uti dudum observarunt Critici. 2. potentiam Dei & misericordiam, quâ corpora electorum in consummatione seculi è pulvere suscitabuntur, conferri cum rore, quo pullulant aluntur que herbæ, & quæ per hyemem exaruerant & quasi mortua videbantur, revirescunt. Hinc licet colligere: Quæ est ratio corporum olim suscitandorum è pulvere, ea quoque est ratio plantarum è terrâ nascentium. Nisi enim hoc

admittatur, cessat similitudo à Prophetâ intenta. Sed ea est vel erit ratio corporum olim suscitandorum è pulvere, ut quoad ossa vel partes integrantes licet per cinefactionem ad exiguam quantitatem redactas, in terra praeexistant. Ergo eadem quoque est ratio plantarum è terrâ nascentium, ut in semine licet ad exiguam qnantitatem redactae praeexistant. Ulterius: Si Spiritus Sanctus non saltem mortuorum resurrectionem per verbum evigilandi describit, sed etiam tempori, quo vegetabilia è terra prodeunt, appellationem ab evigilando tribuit, consequens est, quod corpora terrae nascentium in seminibus praeexistant. Sequela patet è nativâ significatione evigilationis, quae existentiam suppositi evigilaturi sine dubio supponit. Idem simile adhibetur à Paulo 1. Cor. 15. v. 36. *despiens, quod tu seris, non vivificit, nisi mortuum fuerit.* Et v. 42. seqq. *seritur cum corruptione, suscitatur cum incorruptione* &c. unde colligere licet, idem corpus latere in semine, quod deinceps succrescit, quemadmodum idem

idem corpus in pulvere terræ delitescit, quod in fine mundi suscitabitur. Non equidem nos fugit, quæ Socinianornm circa hoc punctum sit sententia, videlicet corpora hæc, quæ nunc circumferimus, resurrectura non esse, & quod pro stabiliendâ istâ doctrinâ inprimis provocent ad allegatum Epistolæ caput, nominatim ad v. 37. ubi Apostolus ait: *quod seminas, non corpus, quod oriturum est, seminas.* Unde inferunt: *Ergò corpora, in quibus reviviscent & venient mortui, non ea sunt corpora, in quibus mortales vixerunt.* Slicht. Comm. h. l. Tom. II. Oper. fol. 85. Volckel. l. 3. de V. R. c. 35. fol. 137. Nec ignotum est, quid responderi communiter soleat ab Orthodoxis Theologis, videlicet, quod gignitur ex grano, esse ejusdem speciei infimæ granum. Ergò etiam ad minimum corpus resurgens ejusdem speciei infimæ, nempè humanæ, esse. Identitatem verò numericam exprimere Apostolum non potuisse, quia tale exemplum in naturâ non reperiatur. Vid. Scherzer. Coll. Anti-Socin. p. 1214. seq. Quod

si verò hæc nostra hypothesis admittaur, longè faciliùs insimulque efficacius responderi Adversariis poterit, dicendo nimirum, quod simile ex naturâ petitum articulo de Resurrectione ejusdem numero corporis insigniter respondeat, ut consideranti patebit. Nec alienus à nostrâ sententiâ videtur esse Apostolus, tùm quia corpus oriturum, quod negat seminari, non opponit alii corpori, quod in terrâ seratur, sed γυμνῷ κόκκῳ, nudo grano, h. e. foliis, floribus, aristis nondum induto & exornato, ita tamen nudo, ut formam suam specificam jam habeat, unde appellat granum σίτου, tritici, quod dici non posset, nisi triticum reverâ esset, licet accedente deinceps nutritione augendum, inque herbam & aristam dilatandum; tùm quia v. 38. dicit, Deum dare isti grano corpus καθὼς ἠθέλησε, *ut voluit*, in aoristo seu præterito, respectu, ut videtur, habito ad dudum sancitam in regno vegetabili legem seu primævam ejusmodi granorum specificorum productionem; tùm quia ibidem dicitur Deus dare cuilibet semi-

minum τὸ ἴδιον σῶμα, proprium corpus, quod dici vix posset, nisi illud hactenus, licet angustis terminis inclusum, in se continuisset seu possedisset. Quinimò ipse Scherzerus l. c. licet forsan aliud cogitando idem videtur asserere, quando argumentum Socinianorum invertit hoc modo: *Inter granum natum & seminatum est sola differentia excellentiæ, non substantiæ. Ergò etiam inter corpus sepultum & resuscitatum differentia substantiæ non est*, item τὸ *Non l. c. non identitati specificæ ac numericæ, sed qualitatum opponi*. Hinc colligo: Si differentia excellentiæ saltem est, non substantiæ, inter granum natum & seminatum, si τὸ *Non*, non identitati specificæ ac numericæ, sed qualitatum opponitur, mens Apostoli est granum natum & seminatum idem numerò esse, licet non ita auctum ac dilatatum ac postea. His ita hactenùs dictis & sufficienter, uti videtur, probatis, generaliter opponi potest, sententiam nostram ideò calculum non mereri, quod eâ admissâ omnis generatio tollatur in regno vegetabili.

Equidem ſunt inter modernos Viri Clariſſimi, quibus illud aſſerere abſurdum non videtur, attentâ inprimis authoritate Hippocratis ſuprà allegati. Aut ſi generatio ſtatuenda ſit, in ejus deſcriptione, veram & originalem organici corpuſculi fabricam & formationem ſolius Dei omnipotentiæ ſpecialiter operanti tribuendam eſſe; Naturæ verò corpuſculi jam penitus formati ſucceſſivam enutritionem & augmentationem relinqui. Nos ſalvâ eorum authoritate & dudum obtentâ eruditionis gloriâ, exiſtimamus, eò progrediendum non eſſe, quin potiùs in hâc quoque, quam aſſeruimus, ſententiâ generationem plantarum debito modo explicandam ſalvam manere. Nam 1. licet veram & primam organici corpuſculi fabricam & formationem, juxta hactenus dicta, ſolius Dei omnipotentiæ ſpecialiter operanti tribuendam eſſe nulli dubitemus, in eo tamen aſſenſum à nobis ipſis impetrare non poſſumus, quòd illa ſpecialis Dei omnipotentiæ operatio pars generationis dicenda ſit, tùm quia illa ſpecialis Divinæ

vinæ omnipotentiæ operatio tertiâ die Creationis facta miraculum fuit & propriè dicta Creatio, mediata scilicet seu ex nihilo privativo, adeoque nequaquam generatio; tùm quia illa specialis divinæ potentiæ operatio semel facta est, die nimirum tertio, ut diximus, cùm econtra plantarum generatio quotidiè fiat; tùm quia hoc admisso dicendum foret, plantas à Deo generari ad minimum ex parte, consequenter Deum esse authorem seu causam plantarum non æquivocam, ut uno ore omnes hactenus locuti sunt, sed univocam seu ejusdem naturæ, quod nemo admittet. 2. si Naturæ corpusculi jam penitus formati successiva saltem enutritio & augmentatio relinquitur, reverâ nulla erit in regno vegetabili propriè sic dicta generatio. Aut enim generatio, si quæ statuitur, uti statuendam esse non dubitamus, tribuenda esset Deo, aut naturæ. Non Deo, quia Deus, utpote Ens alterius & infinitè distantis essentiæ non generat creaturas corporeas, sed creat, aut cum generantibus tanquam cau-

ſa prima & univerſalis concurrit. Non Naturæ, quia ei non productio, ſed tantum ſucceſſiva enutritio & augmentatio relinquitur. 3. Itaque non obſtante, quòd originalis organici corpuſculi fabrica & formatio ſolius Dei Omnipotentiæ die tertio Hexaëmeri ſpecialiter operanti tribuenda ſit, exiſtimamus nihilominus veram & propriè dictam generationem eamque totam, (incluſo Cauſæ primæ concurſu) Naturæ tribuendam eſſe, hoc ſenſu, quod terra ſemen cujuslibet ſpeciei vegetabilium in ſinu vel gremio ſuo depoſitum concipiat, foveat, ſuoque tempore, quaſi per quoddam puerperium, emittat, vi mandati à Creatore accepti: *germinet terra.* Deinceps nullum dubium eſt, quin eadem natura, quæ teneram plantulam primò concepit & ſuo tempore enixa eſt, ſenſim quoque eam nutriat & augmentum ei tribuat. Id quod eò confidentiùs aſſerimus, quia præter emphaſin verbi mandatorii: *germinet terra*, ſuperius expenſam, ſpecialiter etiam deprehendimus, quòd ipſe Spiritus Sanctus

terræ

terræ plantas proferenti quoddam quasi puerperium tribuat. Locus aliâs notus est. Jes. 55, 10. *quum descendit pluvia aut nix de cœlo, rursus illuc non revertitur, sed inebriat terram*, facitque ut pariat ipsa (uti rectè ebræum verbum הוליד reddiderunt Tremellius ac Junius,) & *producat* (hebr. הִצְמִיחָהּ à radice צָמַח crescere,) *ut edat semen satori & panem comedenti.* Hic duo prædicata, etiam per accentus distinctivos in fonte sejuncta, de terrâ enunciantur, quorum alterum primam plantæ eductionem & quasi puerperium, alterum deinceps sequentem successivam enutritionem & augmentationem designat. Tantum abest, ex infallibili Spiritus Sancti judicio, in generatione plantarum Naturæ solam augmentationem relictam esse. Conf. Ebr. 6. v. 7. ubi terra proferens herbam vocatur τίκτουσα pariens. Addi potest effatum Salvatoris Marc. 4. v. 28. *Suâ sponte terra fructum fert* (In fonte est verbum καρποφορεῖ, respondens hebræo פָּרָה fructificare, quod Deus in benedictione primævâ adhibuit.

buit, cùm animantibus & ipſis quoque hominibus vim generandi ſibi ſimile conferret. Gen. 1. v. 22. 28.) *primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpicâ.* Hîc clarè ſatis plantarum primò generatio & quaſi ex utero matris egreſſus, per verbum καρποφορεῖν *fructum ferre*, deinde ſucceſſiva enutritio per repetitam particulam *deinde* & denique augmentatio voce πλήρη *plenum frumentum* indicatur. Nec obſtat nobis, quòd verbum καρποφορεῖ, *fructum fert*, omnes ſequentes voces reſpiciat, adeoque non primam ſaltem germinationem deſignet, ſed plenariam plantæ ad ſuam perfectionem deductionem. Sicut enim actus ſollicitæ matris, quibus proli ſuæ usque ad adultam ætatem proſpicit, & proſpiciendo frugiferæ vitis inſtar jucundiſſimum fructum fert, non obſtant, quominus cùm proles dicitur fructus ventris ejus primariò reſpiciatur ad ejusdem in utero conceptionem & ſubſecutam nativitatem: ita & ſucceſſiva plantularũ enutritio, & augmentatio tritici inprimis usque ad tempus meſſis, ob-

ſtare

ſtare non debet, quominus ejusd. prima productio & quaſi ex utero emiſſio terræ tanq. fœcundæ matri (quod nomen & Siracides ei tribuit c. 40. v. 1.) tribuatur. Illud tamen (ne quid diſſimulemus) diſcriminis intercedit inter animalium & plantarum generationem, quod cùm animalia per congresſum maris & fœminæ generentur, DEUS prima ſeu originaria plantarum corpuſcula in terræ gremio ſimul depoſuerit, indeque in prima ſingularum ſpecierum individua transtulerit, eâ lege, ut eadem ſpecie à ſe invicem differentia corpuſcula ſub formâ ſeminis inde egredientia porrò in terræ gremio concepta in novas plantas per matris puerperium & ſucceſſivam enutritionem abeant, hocque jucundum fructificationis ſeu generationis phyſicæ negotium ita continuetur usque ad finem ſeculi. Id quod ex ſuperius allegatâ & quadantenus expoſitâ Creationis plantarum hiſtoriâ clarè ſatis diſpaleſcere arbitramur.

Quamvis autem hæc ſententia multis plane nova ac proinde rejectanea videri poſſit,

ſit, Veteribus tamen adeò non fuit ignota, ut præter Hippocratem à Philoſopho Gallo ſupra allegatum acutiſſimus inter Patres Aurelius Auguſtinus, quantum ego percipere poſſum, eam tenuerit & publicè profeſſus ſit. Nam de Geneſi ad literam l. 5. c. 20. ubi ex profeſſo de rebus naturalibus agit, cùm ad plantarum generationem, quæ perpetuò fit, ventum eſt, ſimiliter dicit ſemina evolvi & explicari, ſicut hodie illud naturæ opus Philoſophi vocabulo inprimis gallico *developper* exponere ſolent. Sic autem ibidem loquitur: *Sic ergo credamus, vel ſi poſſumus etiam intelligamus usq; nunc operari Deum, ut ſi conditis ab eo rebus operatio ejus ſubtrahatur, intereant. - - - Movet itaque occulta potentia univerſam creaturam, eoq; motu illa verſata dum angeli juſſa perficiunt . . . . dum vireta pullulant* ſuaque ſemina evolvunt, *dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui juſtos exercere permittuntur,* explicat *ſecula, quæ illi cum primum condita ſunt, tanquam* implicita *indiderat:*

quæ

quæ tamen in ſuos curſus non explicarentur, *ſiea, ille qui condidit, provido motu adminiſtrare ceſſaret.* Idem videtur docere eodem libro c. 7. ubi in verba Moſis Gen. 2. v. 6. fons aſcendebat de terra &c. ſic diſcurrit: *hinc jam, quantum arbitror, intimatur, quæ fiant ſecundum intervalla temporum ex prima illa conditione creaturarum, ubi facta ſunt omnia ſimul. Et rectè ab eo cœpit elemento, ex quo cuncta genera naſcuntur vel animalium, vel herbarum atque lignorum, ut agant temporales numeros ſuos naturis propriis diſtributos. Omnia quippe primordia ſeminum, ſive unde omnis caro, ſive unde omnia frutecta gignuntur, humida ſunt & ex humore concreſcunt.* In ſunt autem in illis efficaciſſimi numeri (naturis propriis diſtributi, ut ſupra) *trahentes ſecum ſequaces potentias ex illis perfectis operibus Dei, à quibus in die ſeptimo requievit.* Et longè clarius l. 2. c. 15. ubi ita ſcribit: *Omnis res quicquid progreſſu naturali per tempora congrua quodammodo prodit atq; explicat, etiam ante continebat*

bat occultum, etsi non specie vel mole corporis tamen ratione naturæ. *Non forte arbor, quæ per hyemen pomis vacua foliisque nudata est, tunc imperfecta dicenda est: aut verò in primordiis suis cùm ad huc nullum fructum dedisset, imperfecta erat illa natura. Quod non tantùm de arbore, sed nec de ipso ejus* semine *rectè diceretur, ubi* omnia, *quæ progressu temporis quodammodò procedunt, modis invisibilibus* latent. it. l. 5. c. 4. *in seminibus jam sunt* omnia *antequam* evolvant *quodammodo atque* explicent incrementa *& species suas per numeros temporum.* & eod l. c. 23. *in ipso grano invisibiliter erant omnia simul, quæ per tempora in arborem surgerent.*

Dices, eodem c. 23. hæc leguntur: *In semine omnia illa fuerunt primitus, non mole corporeæ magnitudinis, sed vi potentiâq; causaliter.* Ergò ex sententia Augustini plantæ in posterum nasciture in sunt seminibus non formaliter, sed saltem virtualiter.

℟. 1. Augustinus *tò causaliter* non oppo-

nit

nit inexistentiæ plantarum in seminibus formali, sed moli corporeæ magnitudinis, ut inspectio docet. Moles autem corporeæ magnitudinis non est ipsa plantæ substantia, sed accidens, ut constat. Igitur Augustinus non naturam specificam derogat plantæ in semine suo latenti, sed saltem magnitudinem. 2. Cùm dicit: in semine omnia illa, nempe ramos, frondes, poma &c. fuisse *vi potentiaq;*, hæc verba non sumit eo sensu, quo aliàs effectus dicitur esse in potentia causæ efficientis, seu virtualiter, sed loquitur de vi ac potentia seminis activa, quâ possit omnia ista primitùs in se existentia ac latentia, ramos, frondes &c. attracto humore terræ commixto explicare ac diffundere. Sic enim confestim seipsum explicat, dicens: *Sed illa in exiguo grano mirabilior præstantiorque vis est, qua valuit adjacens humor commixtus terræ, tanquam materies verti in ligni illius* (ad certam speciem jam determinati) *qualitatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem ac figuram, in fructuum formas & opu-* len-

lentiam, omniumq́ ordinatissimam distinctionem. 3 Tò *causaliter* ita accipiendum esse, latiùs explicat Augustinus, ejusdem Operis l. 6. c. 10. ubi ait: *Aliter in seminibus, in quibus rursus quasi primordiales causæ repetuntur* (sic exponitur adverbium: *Causaliter*) *de rebus ducta, quæ secundum causas, quas primùm condidit, extiterant, velut herba ex terra, semen ex herba. In quibus omnibus ea* jam facta *modos & actus sui temporis acceperunt, quæ ex occultis atq́ invisibilibus rationibus, quæ in creatura* causaliter *latent, in manifestas formas naturasq́ prodierunt. Sicut herba exorta super terram.* (Nota: distinguit Augustinus inter plantas manifestas seu exortas & occultas. Illæ sunt super terram, hæ latent in seminibus) *& homo factus in animam vivam & cætera hujusmodi sive fructecta sive animantia, ad illam operationem Dei pertinentia, quæ usq́ nunc operatur. Sed etiam ista secum gerunt tanquam iterum seipsa invisibiliter in occulta quadam vi generandi, quam extraxerunt de illis primordiis causarum suarum, in quibus* crea-

creato mundo, cum factus est dies, antequam in manifestam speciem sui generis exorirentur, inserta *sunt.* Adde Augustino antiquiorem Tertullianum, qui lib. de veland. virg. cap. 1. hæc habet: *Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum est primo, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enititur. Deinde rami & frondes invalescunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine solvitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim ætatem suam dirigens eruditur in mansuetudinem saporis.* Eadem creatura est Tertulliano, quæ primo granum, deinde frutex, inde arbuscula, denique arbor appellatur. Et notanter dicit *Creaturam*, quæ jam producta est, aliàs non esset creatura, non mutari in aliam creaturam, sed *paulatim* successu temporis seu per incrementa ad fructum promoveri. *Promoveri* inquam, seu crescere vel incrementum capere. Unde ad marginem legitur: *Grani incrementa.*

Se-

SECTIO II.

DE ANIMALIBUS.

QUod porrò generationem Animalium concernit, licet illa cum generatione plantarum in quibusdam concordet, in aliis tamen discrepat, ut proinde peculiarem considerationem postulet. Primò a. supponimus ex historiâ Creationis Mosaicâ, cùm de primâ animalium productione sermo est, respiciendum esse non solùm ad terram (quæ sola aliâs vegetabilia in universum omnia produxerat, ut vidimus) sed etiam ad aquas. Cùm enim animalia sint vel aquatilia, vel volatilia, vel terrestria, priora duo genera sapientissimus Creator ex aquis prodire jussit. Gen. 1. v. 20. ultimum verò è terra. v. 23. Deinde observandum est, quòd Deus animalibus ex aquâ & terrâ productis peculiari benedictionis verbo ac mandato facultatem se per congressum multiplicandi sibivé simile generandi concesserit, quod de plantis antea productis non legitur,

tur, quibus verò vim ſeſe multiplicandi eâ ratione indidit, ut quodlibet vegetabile eſſet ſementans ſemen ſecundùm ſpeciem ſuam. Denique obſervandum eſt, animalibus in univerſum omnibus tribui animam tanquam principium vitale, adhibitâ plerumque phraſi: *animæ viventis.* In fonte eſt נֶפֶשׁ חַיָּה *anima vitæ*, i. e. vitalis, per hebraiſmum, ponendo genitivum ſubſtantivi pro adjectivo, ſicut aliâs dicitur רוּחַ חַיָּה ſpiritus vitæ, i. e. vitalis, ſeu vitam dans. Ezech. 11. v. 20. Conſ. Gen. 7. v. 22. Hoc vitæ principium tribuitur omnibus animantibus tàm terrenis, quàm volatilibus à Moſe dicente: *Omnibus beſtiis terræ, & omnibus volucribus cœli, omnibusq; reptantibus ſuper terram, in quibus eſt* נֶפֶשׁ חַיָּה *anima vitæ* ſeu vivens. Gen. 1. v. 30. Similiter quodvis aquatile in caſu recto vocatur נֶפֶשׁ חַיָּה anima vivens. Gen. 1. v. 20. Hæ verò phraſes de plantis non uſurpantur, licet aliis Scripturæ phraſibus dicantur mori & vivificari. Joh. 12. v. 24. 1. Cor. 15. v. 36. E quibus ſatis, ut opinor, elucefcit, de animalibus eorumque

que

que generatione, paulo aliter, quàm de plantis, statuendum esse. Nos, salvo melius forsan sentientium judicio, mentem nostram distinctis propositionibus exponemus.

I. Deus in primordio rerum animalia aquatilia & volatilia ex aquis, terrestria verò è terra prodire jussit. Hoc assertum clarum est ex historiâ creationis. De quintâ enim primi hexaëmeridie Moses ita refert: *Dixit Deus*: producant (hebr. יִשְׁרְצוּ, reptificent, abundè progignant, copiosè ebulliant, sicut fluvius Ægypti numerosissimâ frequentiâ ranas ebulliit. Exod. 8. v. 3. adeò ut etiam conclavia regum implerent. Ps. 105. v. 30. & sicut post diluvium omnia animantia, quæ cum Noacho in arcâ fuerant, denuò jussa sunt abundè sui simile progignere. Gen. 8. v. 17. quod etiam ad homines extensum est. Gen. 9. v. 7. *aquæ* (quæ sub cœlo sunt, eousque à terra quidem distinctæ & in locum sibi divinitus assignatum congregatæ. v. 9. nullâ tamen vi aliquod vivens producendi præditæ) *reptile* (seu reptilia,

pec-

per enallagen numeri hebræis usitatam. In fonte est שֶׁרֶץ, quod juxta Mercerum est nomen collectivum ad omnia animalia aquatilia vel terrestria sive amphibia, sive natatilia sive volatilia, quæ cursitando demissè repunt, non elevatis pedibus aut illis terram quatiendo, ut patet ex Lev. 11. Hoc loco speciatim notat aquatilia seu pisces, quippe contradistincta volatilibus h. v. & reptilibus terrestribus. v. 24. 25.) *animam viventem* (genericè sic dictam. Inferiùs enim v. 24. etiam adhibetur de animalibus terrestribus) *& volatile* (subaudi: quod) *volitat super terram sub firmamento cœli.* Similiter de sextâ die ait: *dixit Deus: producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia & bestias terræ secundùm species suas, factumq; est ita.* ibid. v. 24. Ex his textibus clarum esse arbitramur, quòd quàm verè antea terra verbo תַּדְשֵׁא *germinet*, quasi imprægnata omnis generis plantarum corpora in sinu suo concepit eodemque momento enixa est, tàm verè etiam aquæ & terra, quinto & sexto diebus, con-

D simili

ſimili verbo divino: *producant*, v 20. *producat*, v. 24. imprægnata quaſi, piſcium, avium & animalium terreſtrium corpora intra ſe conceperint, eodemque momento ad juſſum Creatoris quaſi pepererint.

II. Poſtquam DEUS prima illa animalia ex aquis & terrâ prodire juſſit, deinceps naſciturorum animalium punctula ſeminalia iis indidit, mediante generatione in poſterum ab iis producenda & emittenda. Id probatur

1. ex benedictione Divina primis animalibus à DEO datâ, quam Moſes Geneſ. 1. v. 20. his verbis refert: *Benedixitq; eis* (puta: non apprecando ſaltem bonum, ſed fœcunditatem i. e. potentiam & appetitum ſibi ſimile generandi realiter conferendo. Ea enim eſt natura benedictionis Divinæ, ut idem ſit ac benefacere ſeu beneficia conferre, quod patet ex regno gratiæ, ubi benedictio notat bonorum cœleſtium collationem, teſte Paulo, Epheſ. 1. v. 3. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus in Chriſto.* Quodque hujus benedictio-

ni

nis in regno naturæ eadem ſit conditio, Moſes ipſe indicat, addendo conſequens ſeu effectum ejus, fructificationem & multiplicationem. Unde nec luci nec firmamento benedictio data eſſe legitur, quia iſta multiplicare ſe vel ſibi ſimile generare non debebant.) Hinc colligere licet: Si Deus benedixit primis animalibus, & benedicendo facultatem dedit ſibi ſimile generandi, puncta ſeminalia naſciturorum animalium iis indidiſſ. credendus eſt. Sequela patet, quia niſi punctula & corpuſcula ſeminalia ejusdem ſpeciei eis indidiſſet, non accepiſſent facultatem ſibi ſimile generandi, imò producendo & gignendo deinceps ex materiâ ſpecie diversâ, propriè loquendo non generaſſent, non produxiſſent ſibi ſimile, non eſſent cauſæ univocæ, ſed æquivocæ ſuorum fœtuum, quod eſt abſurdum.

2. Ex emphaſi verbi: *creſcite.* In fonte eſt פְּרוּ *fructum ferte*, quo cum congruit, quod ſoboles jumentorum appelletur פְּרִי fructus eorum. Deut. 30. v. 9. Hinc colligo: Si animalia ex primis illis nata & po-

rò naſcitura ſunt fructus eorum, conſequens eſt, quòd punctula eorum ſeminalia primis iſtis animalibus ſint indita. Sequela probatur ex analogiâ regni vegetabilis, in cujus deſcriptione eadem vox פְּרִי *fructus* notat corpus, quod in minimâ quantitate primò latens in ſemine ſenſim ſenſimque deinceps explicatur, augetur ac dilatatur. Similiter igitur quia ſoboles vocatur fructus, eam prius, licet in minimâ quantitate, in procreantibus latuiſſe credendum eſt. Confirmatur hoc argumentum ex eo, quòd Scriptura l. c. ſolicitè diſtinguat inter fructum terræ & fructum animalium, ut indicetur, licet prima animalia è terrâ producta ſint, tamen deinceps naſciturorum animalium ſemina non in terrâ mediantibus plantis, uti vegetabilium, ſed in ipſis animalibus repoſita eſſe.

III. Non videtur nobis credibile, quòd in generatione animalium totum corpuſculum futuri animalis ante maris congreſſum jam penitus formatum & ovario matris inexiſtens, accedente ſemine maſculino, tanquam

quam actuosiore principio, ejusdem virtute pristinis radicibus nutritiis saltem avellatur, & avulsum in uterum viviparorum vel aliò transmittatur ac deponatur, & sic deinceps reliqui generationis processus perficiantur. Rationes, cur in istam sententiam concedere non possimus, sequentes sunt:

1. quia per benedictionem divinam, juxta superius dicta, utrique animalium tàm mari, quàm fœminæ collata divinitùs est vis & facultas sibi simile generandi sevé multiplicandi. At hæc vis frustranea, imò nulla esset, si ex solâ fœminâ tota soboles descenderet, imò ante maris congressum eidem jam inexisteret. Equidem differentiam sexus in animalibus DEUS instituit. Cùm verò eis benediceret, & benedicendo facultatem sibi simile generandi conferret, absque ullo discriminis indiclo de utrisque in plurali locutus est, dicendo: *Crescite & multiplicamini.* Itaque attentâ sacrosancti hujus verbi vel mandati authoritate ita de generatione animalium loqui debemus ac statuere, ut de utroque sexu uniformiter e-

nuncietur, quod fructum ferat & sese multiplicet.

2. ex verbo: *Crescite*, vel juxta fontem potius: *fructum ferte*. Argumentor: Uti se habet fructus ad arborem: ita se habet soboles ad animalia gignentia utriusque sexus. Propositio patet, tùm ex voce פְּרִי *fructus*, quam utrobique tàm in regno vegetabili quàm animali adhiberi jam monuimus; tùm quia ipse Spiritus Sanctus hanc analogiam suggerit, comparando uxorem fœcundam cum vite fructiferâ. Ps. 128. v. 3. Jam subsumo: Atqui ita se habet fructus ad arborem, ut ejus corpusculum in arbore prius existat. Ergò eodem modo se habet soboles ad animalia gignentia utriusque sexus, ut nempè in iis præexistat.

Si dicas, hoc ipso, quo uxor fœcunda comparetur cum vite fructiferâ, indicari, quòd soboles tota ex eâ descendat, sicut uvæ ex vite pendent, nihil efficis. Nam quæ est illa, cui hoc elogium tribuitur? Nonne uxor est, quæ per copulam conjugalem cum marito suo facta est una caro, quæq; ex marito

rito concepit sobolem, quod clarè satis indicatur à Psalte dicente: *uxor tua?* Sed nulla est sequela: Uxor post copulam conjugalem cum marito vitis instar fœcunda redditur. Ergò soboles tota ante maris congressum eidem jam inexstitit. Quin potius cùm dicatur in fonte vitis פּוֹרִיָּה *fructifera*, habito citra dubium respectu ad primævam benedictionem פְּרוּ *fructum ferte*, quæ verò benedictio, ut jam sæpius dictum, ad utrumque sexum uniformiter dicta est, manifestum evadit, hanc fœcunditatem matris ita exponendam esse, ut marito nequaquam denegetur, sed potius unà cum uxore adscribatur. Id quod porrò corroborari potest ex eodem loco, quia liberi ex eâdem vite domesticâ uvarum instar dependentes seu descendentes, expreßè in alloquio mariti à Psalte vocantur בָּנֶיךָ *filii tui*, à בָּנָה ædificavit, quasi ædificium quoddam ab ipso & ex ipso extructum. Unde orta est phrasis biblica: *ædificare domum*, i.e. liberos procreare, quæ verò non saltem de fœminis adhibetur. Ruth. 4. v. 11. sed etiam de Viris.

Deut. 25. v. 9. ut pateat, ſtructuram corporis humani tam affabrè formatam non à ſolâ matre ſed haud minus à patre deſcendere.

3. è phraſibus Scripturæ, quibus generatio hominis paſſim deſcribitur, à quâ ſine dubio ad generationem brutorum licebit argumentari, cùm in tertio generationis phyſicæ utriusque eadem ſit ratio. Sic autem loquitur Scriptura, ut quando prolem appellat פְּרִי בֶטֶן *fructum ventris*, phraſin iſtam non de fœminis ſaltem uſurpet, ut Geneſ. 30. v. 2. ſed etiam de Viris, ut Pſ. 132. v. 11. & tandem de utrisque promiſcuè. Deut. 28. v. 4. 11. 18. 53. At quomodo proles poſſet dici fructus ventris paterni; ſi tota ante congreſſum maritalem in ovario fœminæ præextitiſſet. Certè fructus alicujus arboris dici non poteſt, niſi qui in eâ præextitit & ex eâ pullulavit. Similiter ſe res habet cum illâ phraſi, quâ poſteri dicuntur fuiſſe in lumbis parentum, quomodo de Levi dicitur Ebr. 7. v. 10. quòd fuerit in lumbis patris Abrahami. Hoc ſanè dici non

non posset, si in ovario tantùm matris præextitisset. Eodem modo posteri è patribus suis, phrasi Scripturæ, egredi dicuntur, quo sensu Gen. 35. v. 11. Jehova Jacobum alloquitur: *Reges ex lumbis tuis egredientur.* Conf. Gen. 15. v. 4. c. 17. v. 6. c. 25. v. 25. Jud. 8. v. 30. Jesa. 11. v. 1. Mich. 5. v. 2. Profectò si è patribus *egrediuntur* per generationem posteri, non ex ovario matris saltem avelli per semen masculinum dicendi sunt. Adde verbum יָלַד, quod de fœminis usurpatum significat *parere*, de viris quoque gignentibus adhiberi, & quidem ita, ut cum præcedente verbo *egredi* (exegeseos instar) jungatur, v. gr. 2. Reg. 20. v. 18. *de filiis tuis, qui prodibunt ex te, quos geniturus es &c.* manifesto satis indicio, quòd non ex solo materno ovario proles derivetur. Igitur

IV. Observatis phrasibus Scripturæ, inprimis de fructu ventris, quam de utroque parente adhiberi vidimus, dicendum omninò videtur, quod proles tota in utroque parente præexistat. Neque solido satis fundamento niti videtur sententia dicentium,

 quo-

quòd pars ſpirituoſior à Patre, minus ſpirituoſa verò à matre deſcendat. Ratio eſt, quia de utroque parente planè easdem phraſes adhibet Spiritus Sanctus, quod non feciſſet, ſi tantum diſcrimen in hoc opere generationis inter marem & fœminam occurreret. Id quod confirmari ulterius poteſt è miraculosâ tùm Evæ ex Adamo, tùm carnis Chriſti è Maria Virgine efformatione ſeu productione. Sanè Eva tota, formata ex coſtâ Adami, in eo præextitit, aliâs dicere non potuiſſet: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ: hæc vocabitur Vira, quoniam de Viro* (ex Viro) *ſumta eſt.* Geneſ. 2. v. 23. Similiter caro ſeu humanitas Chriſti è B. Virgine aſſumta à Filio DEI dicitur *καρπὸς τῆς κοιλίας*, *fructus ventris* Mariæ. Luc. 1. v. 42. manifeſto indicio, quòd humana Chriſti natura tota in Maria præextiterit. Interim ne exiſtimetur, ex ovario fœminino tantùm eam deſumtam eſſe, idem fructus ventris Mariæ dicitur fructus lumborum Davidis. Act. 2. v. 30. Conf. Pſ. 132. v. 11. Hæc duo exempla licet quoad modum produ-cen-

ducendi hominem ſint planè inuſitata & extraordinaria, quoad originem tamen hominis producti ad rem noſtram apprimè faciunt, oſtenduntque inſiſtendo authoritati ſacrarum literarum, quæ nobis ſacroſancta eſſe debet, prolem generandam aut miraculosè etiam formandam in utroque parente æqualiter præexiſtere. Sed hinc emergere videtur nova difficultas: quâ ratione ex utroque parente prolem futuram in ſe continente una proles deinceps in generatione deſcendat? Nobis videtur dicendum

V. Licet, juxta hactenus dicta & demonſtrata, tota proles in utroque parente ſeminaliter præexiſtat, ac proinde accedente miraculosâ DEI operatione vel ex mare vel ex fœminâ deſumi poſſit, nihilominùs ut proles naturaliter generetur, ex inſtitutione Divinâ neceſſariam eſſe maris & fœminæ conjunctionem, quâ mediante unica proles ex utroque verè ac realiter deſcendens, generetur ſeu efformetur, & in utero materno concipiatur, licet præcisè modus, quo idipſum fiat, à nobis inveſtigari vel ſuffi-

cienter exponi non possit. Prior asserti pars de necessariâ conjunctione maris & fœminæ ad generandam prolem non saltem per experientiam patet, sed in sacro codice insinuatur variis phrasibus, quas haud exiguo numero hactenus adduximus, quibus addi illa potest ac debet, quâ conjuges dicuntur *una caro*, habito sine dubio respectu ad copulam carnalem, quod exinde etiam apparet, quia de conjunctione Viri cum scorto pariter adhibetur. 1. Cor. 6. v. 16. Posterior pars de imperceptibilitate modi non saltem à Philosophis & Medicis Gentilibus fuit agnita, unde Avicenna generationis opus summum vocavit naturæ miraculum, & Galenus in l. *an omnes particulæ simul fiant*, soli DEO & naturæ hoc opus cognitum esse fatetur, sed etiam ab Hieropsalte in Scripturâ indicatur, dicente: נִפְלֵיתִי *mirabilis sum*, vel potius juxta Piscatorem: *Mirabiliter creatus sum*; cui concinit Lutherus: Daß ich wunderbahrlich gemacht bin. Psal. 139. v. 14. Adde effatum Salomonis, sapientissimi licet Philosophi & Theologi;

Igno-

Ignoras, quomodo ossa formentur in ventre gravidæ. Eccl. 11. v. 5. Si parva licet componere magnis, dicemus, mirandum hoc generationis opus lucem quandam fœnerari posse ex augustissimo SS. Trinitatis mysterio. Notum est, quid Theologi doceant de processione Spiritus Sancti à Patre & Filio, videlicet *Spiritum Sanctum à Patre & Filio consubstantiali unius ejusdemq; numero essentiæ communicatione uno actu indivisibili & æterno, ineffabili modo produci;* verba sunt B. Königii Theol. Acroam. §. 136. Indubium hîc est. 1. Patrem & Filium esse duas personas realiter distinctas. 2. Spiritum S. ab utraque personâ eodem modo, nempè per spirationem activam produci. Unde non Patris solùm, sed & Filii Spiritus appellatur. 3. Spirationem activam Patris & Filii unam numero spirationem esse. Consimiliter igitur dici potest, prolem in utroque parente seminaliter latentem unâ numero generatione uno ac indivisibili actu per ejusdem speciei naturæ communicationem ab utroque parente produci. Vix ausi fuissemus

ſemus hoc ſimile inter meditationes privatas nobis occurrens in medium proferre, niſi idem ante nos jam feciſſet eruditionis non minus quàm orthodoxiæ laude celeberrimus Dorſcheus Auctar. Pentadec. diſſert. 4. §. 35. cujus verba adſcribere haud piget. *Poſſe autem ſine compoſitione producti à duobus aliquid produci, partim ex divinis manifeſtum eſt, partim etiam ex naturalibus, ubi plura ſunt agentia ad unam actionem concurrentia. 1. Ex divinis; nam DEUS Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum per æternam ſpirationem. Pater autem & Filius ſunt duæ perſonæ, quæ ſunt unum principium ſpirationis Spiritus Sancti, neque tamen propterea Spiritus Sanctus eſt perſona compoſita, etiamſi à duabus Perſonis in admirabili quadam ac incomprehenſibili unione procedat & ſpiretur. 2. Ex naturalibus, quia quando DEUS tanquam cauſa prima & creatura tanquam cauſa ſecunda concurrunt, actio ex iſto concurſu orta nō eſt compoſita, ſed ſimplex. e. g. Intellectio hominis quæ ex concurſu divino cum intellectu creato oritur tanquam à duobus agentibus nihilominus*

una

una & simplicissima actio est, sic, ubi sunt plura agentia creata ad unum effectum cooperantia non propterea ipsa actio à pluribus illis agentibus producta composita est. Notamus verò hoc loco & repetimus illud, de quo supra diximus, quòd, cum anima in semine à Patre & matre propagari dicitur, parentes non considerentur, ut sunt duo, sed ut sunt una caro in singularissima eaque impervestigabili conjunctione constituta. Quantus sit ille unitatis gradus, & cujus efficacia, in hac mortalitate concipere non possumus. Illud autem tamen manifestum est, DEUM typum quendam unionis mysticæ, quæ est inter Christum & Ecclesiam atque revera incomprehensibilis dici potest, in eadem constituere voluisse. Eph. 5. v. 32. Unde ex Spiritus Sancti stylo propagatio hominis à duobus, quæ unum sunt, fieri dicenda est.

VI. Neque quando prolem in utroq; parente seminaliter præexistere statuimus, de solo corpore id intellectum volumus, sed de toto supposito quoad animam & corpus, hoc sensu, quòd si generetur, quoad animam non minùs, quàm quoad corpus generetur.

Hoc

Hoc assertum ideò non opus est prolixis argumentis stabilire, quia id dudum præstiterunt Orthodoxi Theologi, qui propagationem animæ humanæ per traducem invictis argumentis evicerunt, petitis partim à benedictione Divinâ: *Crescite & multiplicamini*, quæ, ut supra observavimus, facultatem non materiam solùm, sed totum suppositum propagandi concessit & contulit; partim à naturâ generationis propriè sic dictæ, quæ non materiæ solùm suppeditationem dicit, sed *processionem viventis* (adeoq; animati) *à vivente secundùm similitudinem naturæ.* Naturæ, inquam, adeoque non materiæ solùm, sed totius essentiæ, quæ formam non minus quàm materiam involvit, ut notum est; partim ex naturâ seminis, quod si statuatur animatum non esse, ne semen quidem est, nisi æquivocè, h. e. fatuum planè ac evanidum. Ut taceamus illa, quæ defensionem peccati originalis concernunt, de quibus Augustinus epist. 157. fatetur, *se neque legendo, neque orando, neque ratiocinando invenire potuisse, quomodo cum ani-*

animarum creatione peccatum Originis defendatur. Illud ſaltem addimus, non tantùm in generatione hominis animam rationalem verè à parentibus propagari, ſed etiam in generatione bruti animam ſenſitivam, tanquam principium ſubſtantiale æquè vitam dans corpori alicujus bruti, ac anima rationalis vitam dat corpori humano. Hoc ut confidenter aſſeramus, in causâ eſt authoritas divina planè infallibilis, quæ eodem modo de animâ brutorum loqui ſolet ac de animâ hominis; ut dubitare non liceat, idem eſſe (quoad officium) in bruto animam ſenſitivam, quod in homine eſt anima rationalis, formam nempè ſubſtantialem & principium vitæ. Jam ſupra allegavimus verba Moſis Gen. 1. v. 20. *Producant aquæ reptile* נֶפֶשׁ חַיָּה, *animam viventem.* Eâdem phraſi percepimus deſignata eſſe animalia terreſtria, dicente DEO ibidem v. 24. *Producat terra* נֶפֶשׁ חַיָּה *animam viventem.* Sed & eâdem phraſi animal rationale, hoc eſt, hominem deſignari notum eſt ex Gen. 2. v. 7. ubi verba divinitùs inſpirata ſic habent:

bent: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo* לְנֶפֶשׁ חַיָּה *in animam viventem.* Sine dubio hoc elogium *animæ viventis* homini tribuitur non ob corpus organicum, quod nec anima est, nec per se vivens est, sed à parte principali ac principio vitæ, quod est anima rationalis. Nec enim apparet, unde aliâs hæc appellatio desumi posset. Cùm igitur eodem plane modo eademque phrasi quodvis brutum à DEO appelletur *anima vivens*, aut in bruto quoque statuendum erit principium aliquod substantiale vitam dans corpori, quod dicimus animam, aut dicendum, ne quidem in homine tale principium inveniri, aut ratio diversitatis danda est, quæ nullibi apparet. Addi huic fundamento potest ac debet illud, quòd brutis æquè ac hominibus tribuatur רוּחַ חַיִּים *spiritus vitæ* seu vitarum. Locus illustris est Gen. 7. vers. 21. 22. *Exspiravit*, inquit Moses, *omnis caro quæ reptabat super terram, volucrium, pecudumq; & bestiarum & omnium reptilium,*

ptilium quæ repunt super terram: & omnis homo. Hactenus interitus omnium animalium tàm rationalium quàm irrationalium, distributivè per genera & species suas enumeratorum relatus fuit. Sequitur generalis eorum omnium sub uno conceptu viventium collectio vel repræsentatio, dicente ulterius Mose: *Omne, cujus in naribus halitus erat spirationis vitæ* (Hebr. רוּחַ חַיִּים spiritus vitarum) *ex universis quæ degunt in sicco, mortuum est.* Hic locus benè pensitatus triplex nobis argumentum suppeditat ad evincendam animam brutorum, tanquam principium vitæ seu formam substantialem.

Primum argumentum desumimus ex vocabulo רוּחַ Spiritus. Notum est, hanc vocem in Sacris literis adhiberi ad designandum Spiritum tùm increatum, tùm creatum, tùm materialem, tùm immaterialem, Spiritum increatum significat, quando Spiritus Sanctus per eam designatur, ut Gen. 1. v. 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Spiritum creatum designat, quando de Angelis adhibetur, ut Psal. 104. v. 4. *Qui facit ange-*

angelos suos spiritus; nec non de animâ hominis, ut Eccl. 12. v. 9. *Spiritus redit ad DEUM, qui dedit illum;* quæ duplex notatio unà cum præcedente utrobique insimul est spiritus immaterialis seu molis corporeæ expertis. Spiritum verò materialem designat, quando pro vento usurpatur, qualis fuit ille, qui terram exsiccavit post diluvium Gen. 8. v. 1. Inprimis observandum est, Scripturam, cùm de animâ hominum vel brutorum loquitur, hac voce רוח *spiritus*, uniformiter uti. Unde Salomo, acutissimus cæteroquin Philosophus & naturæ in utroque regno tàm animali quàm vegetabili indagator solertissimus, quo nomine ab ipso Spiritu Sancto commendatur. 1. Reg. 4. v. 33. nec Philosophus saltem, sed & Propheta ac Vir Θεόπνευςος, cùm de hominibus ac brutis loqui vult, & quidem in quantum de iis judicare licet ex lumine naturæ, hoc tanquam indubium supponit, in brutis non minus quàm hominibus spiritum esse, id saltem constare negat, an spiritus humanus ascendat sursum, & spiritus bestiæ descendat

dat infra terram. Eccl. 3. v. 21. Imò in brutis æquè ac in hominibus ſpiritum eſſe, adeò extra controverſiam ponit, ut ſiſtendo in lumine naturæ exiſtimet dicendum fore: *Spiritum eundem omnibus ipſis eſſe*. v. 19. Unde colligo: Si ſpiritus hominis denotat animam ſeu principium vitæ ſubſtantiale, & idem vocabulum ſpiritus eodem ſenſu tribuitur brutis, tùm conſequens eſt, quòd etiam in brutis deſignat animam ſeu formam ſubſtantialem, aut ratio danda eſt, quare ejusdem vocis in eodem contextu diverſa ſit ſignificatio. Conf. Job. 12. verſ. 10. ubi נֶפֶשׁ *anima viventis* & רוּחַ *ſpiritus carnis* adhibentur tanquam æquipollentia. Et nota Mercerum, Belgas, Genevenſes, Coccejum & alios per has voces intelligere animam irrationalem. A quibus quamvis recedat Sebaſt. Schmidt Comment. h. l. cum Diodato intelligens animam hominis, ob identitatem tamen vocum, quæ de brutis æquè ac hominibus uſurpantur, facilè nobis licebit ad bruta procedere.

Secun-

Secundum argumentum desumi potest ex attributo *vitæ* vel vitarum. Notum est hebraicè doctis, quòd idiotismo linguæ sanctæ genitivus sæpius adhibeatur ad designandum effectum. In specie illud observare licet circa vocem Spiritus. Notum est Oraculum Prophetiam Jesa. 11. vers. 1. 2. *Prodibit virga è trunco Isai, super quo quiescet Spiritus Jehovæ, Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & prudentiæ, Spiritus scientiæ & reverentiæ Jehovæ.* cui adde alterum Zachar. 12. v. 10. *Effundam super domum Davidis & super habitatores Hierosolymæ spiritum gratiæ & deprecationum.* Quæso cur Spiritus Sanctus vocatur Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & potentiæ, Spiritus scientiæ & reverentiæ Jehovæ? Sine dubio ideò, quia non ipse solùm in se est sapientissimus & potentissimus, sed etiam sapientiam, potentiam & consimilia dona collaturus erat humanæ Christi naturæ. Cur idem Spiritus Sanctus effundendus super domum David & super habitatores Hierosolymæ dicitur Spiritus gratiæ

tiæ & deprecationum? Sine dubio ideò, quia non ipse solùm in se est gratiosus & interpellat pro fidelibus, sed etiam gratiam & aptitudinem ad debitè orandum confert hominibus. Similiter itaque *Spiritus vitæ* seu vitarum, dum non minus brutis quàm hominibus tribuitur à Spiritu Sancto, nil aliud designari credendus est, quàm substantiam quandam, quæ non ipsa solùm in se vivat, sed & vitam det corpori, cui naturaliter unitur.

Tertium argumentum desumi potest à peculiari animæ sede, quæ loco superiùs allegato sunt *nares*, dicente Mose: בְּאַפָּיו *cujus in naribus* erat halitus spirationis vitæ. Hæc phrasis omninò conferenda est cum illa, quæ habetur Gen. 2. v. 7. *Finxit Jehova Deus hominem de pulvere terræ, sufflavitq; in nares ipsius halitum vitæ.* Hîc clarè satis describitur, quâ ratione DEUS primi parentis nostri animam creaverit, & corpori à se formato indiderit, videlicet per insufflationem in nares ejus, habito sine dubio respectu ad id, quòd per nares vim suam quotidiè pro-

ditu-

ditura esset. Cùm igitur eâdem planè phrasi in naribus bruti etiam residere dicatur spiritus vitæ seu vitarum, nulla ratio apparet, cur non in bruto etiam principium vitæ substantiale, licet humano multis nominibus ignobilius, quoad officium vivificandi tamen consimile statuendum sit.

Non equidem nos fugit, quæ sit mens illorum, qui Cartesii placita sequuntur, nimirum *belluarum animam aliud non esse, quàm sanguinem, nec opus esse sensitivam animam in auxilium advocare, qua illarum operationes perficiantur, & ex qua movendi sentiendiq; facultas proveniat*, uti sententiam Magistri sui exponit Antonius le Grand peculiari dissert. *de Carentia sensus & cognitionis in Brutis*. §. 12. Et Cartesii ipsius sententia habetur Respons. Quart. p. 126. *Unde concludere cogemur, nullum planè in ipsis* (brutis) *principium motus à nobis agnosci præter solam dispositionem organorum & continuum affluxum spirituum, qui à calore cordis sanguinem attenuantis producuntur*. Item de Method. 43. *Monitos eos volo, motum hunc, quem*

quem modò explicavi (scil. animalem, homini cum brutis communem) *adeò necessariò sequi ex solâ organorum dispositione, quam suis in corde oculis intueri possunt, & ex calore qui digitis percipitur, naturaq; sanguinis, quæ experientia cognoscitur; atque horologii motus, ex vi, situ & figurâ ponderum & rotarum, quibus constat.* Nec ignotum est, quid de vita corporis humani Cartesiani sentiant, videlicet, *eam non dependere ab animâ rationali, sed æquè ac in brutis in sanguinis ac spirituum justa figurâ & motu consistere.* Verba Wittichii, Busmannii, Grœnewegen allegavit Mastricht. Novit. Cartesian. Gangræn. p. 442. Sed persuasi sumus, si quis absque studio partium eâ quâ par est pietate ac veneratione consideraverit, quæ modò è sacrosancto Scripturæ Codice adduximus, illum sententiæ isti vix ac ne vix quidem inhæsurum esse. Unum saltem addemus, quod oppidò clarum nobis videtur de vitâ corporis humani, à quâ verò ad vitam brutorum, judicio ipsorum Cartesianorum, legitima fit illatio. 1. Reg. 17. v. 17. seqq. refertur hi-

ſtoria de ægritudine filii Sareptanæ, quæ his verbis enunciatur: *Quumq; eſſet ægritudo ejus valida admodum, adeò ut non reliqua eſſet in eo reſpiratio*, Hebr. נְשָׁמָה anima. Eſt vocabulum, quod non ſaltem deſignat animam humanam, quam DEUS Adamo inſufflavit, ut vidimus ex Gen. 2. v. 7. ſed etiam animam bruti denotat, loco ſupra allegato Gen. 7. v. 22. Mors itaque ſeu carentia vitæ corporalis obtigit filio iſti, cùm anima ejus ab ipſo recederet, & conſequenter mors bruti quoque in eo conſiſtet, quòd anima ejus in ipſo non maneat. Deinceps refertur quoque defuncti hujus miraculoſa in vitam hanc revocatio, facta Eliæ precibus. Illæ ſic ſonabant: *Jehova Deus mi, revertatur quaſo anima pueri in medium ejus.* Quid factum? *Et auſcultavit Jehova voci Eliæ, ita ut reversâ animâ pueri in medium ejus revixerit.* Sine dubio vita huic puero reſtituta fuit vita corporalis. Eam enim adeò enixè deſideraverat mater ejus. Eam non dubitavit filio ſuo reſtitutam, cùm illum videret ab Elia adduci ſibique his verbis reſti-

tuit:

tuit : *Vide, vivit filius tuus.* Sed quæso, quodnam fuit vitæ hujus principium ? an motus sanguinis saltem? Eliæ Thavmaturgi longè alia mens fuit. Is enim animæ à corpore suo realiter jam separatæ reditum in corpus seu novum accessum novamque unionem ardentibus votis petiit, non petiturus, si in sanguinis tantùm motu vitam hominis consistere arbitratus fuisset. Nec Elias saltem in eâ sententiâ fuit, sed quòd rectè de vitâ corporis humani senserit, DEUS ipso facto declaravit, remittendo animam pueri in corpus ejus, & quidem eo effectu, ut denuò viveret. Cùm itaque non Elias solùm in eâ fuerit sententiâ, quòd vita corporis humani ab hominis anima pendeat; sed etiam ipse Spiritus Sanctus eâdem phrasi restitutionem vitæ corporalis describat, existimamus citra injuriam in Verbum DEI dubitari ampliùs non posse, an vita corporis humani ab animâ rationali pendeat. Si verò ab animâ rationali vita corporis humani pendet, vita bruti pendebit ab animâ ejus sensitivâ, quia, ipsis Cartesianis

haud abnuentibus, quoad vitam corporis hominum & brutorum eadem est ratio.

Objicies. 1. Si soboles in utroque parente seminaliter praexistit, punctum seminale, quod dat foemina, aut includit perfectè delineatum foetum, aut non. Si non includit, non amplius est punctum seminale, vi hypotheseos. Si includit, quomodo ex duobus punctis seminalibus, quorum quodvis totius animalis rudimentum complectitur, poterit fieri unus foetus? nonne ordinariè producerentur gemelli?

Respondeo 1. assumendo prius dilemmatis membrum, & negando sequelam. Negando inquam, quòd si punctum seminale à foeminâ subministratum (alterius, quod à Viro contribuitur, eadem est ratio) non includat foetum perfectè delineatum, propterea punctum seminale non sit. Ad rationem enim seminis ut sic videtur sufficere, quòd soboles inde oriatur, praescindendo, an semen eam perfectè jam delineatam contineat, annon. 2. Distinguendum est inter semina in regno vegetabili & in regno ani-

animali. Quòd femina in regno vegetabili perfectè formatam seu delineatam plantam in se contineant, ad oculum patet per experientiam. Quòd verò de semine animalium æquè id asserere liceat, hactenus, quod sciam, nondum est liquidum. Certè formatio corporis humani in utero materno tanquam peculiare & verè mirandum opus divinæ sapientiæ commendatur in sacris literis, quod vix futurum fuisset, si in semine vel masculino vel fœminino fœtus perfectè formatus jam præextitisset. Ut proinde doctissimo Malebranchio quoad hoc punctum calculum addere non possimus, dum statuit, omnia hominum & animalium corpora, quæ nascentur usque ad consummationem seculi, producta forsitan esse ab initio mundi. Longè alia mens fuit divinitùs acto Davidi. Is enim memoriâ recolens suam in utero matris efformationem, eamque DEO tribuens dixit: *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.* Ps. 139. v. 15. In fonte est רֻקַּמְתִּי, *contextus fui*, juxta Pagninum,

artificiosè confectus sum, juxta Junium & Piscatorem ; *Veluti tapetum è nervis & venis contextus sum*, juxta Campensem ; *variè contextus sum*, juxta Coccejum. Ratio verbi est רָקַם, acupinxit, unde רוֹקֵם, acupictor, phrygio. Exod. 26. v. 36. c. 27. v. 16. & רִקְמָה opus phrygionicum. Jud. 5. v. 30. Ezech. 16. v. 10. Hinc apparet, Davidem corporis sui in utero materno efformationem à DEO factam comparare cum opere phrygionico seu artificiosâ texturâ, quâ tegumentum portæ tentorii jussu divino efformandum erat. Nec formationem tantùm corporis DEO tribuit, sed & ad primam sui conceptionem ascendit, dicens: *informe meum* (Hebr. גָּלְמִי, glomer vel glomum à גָּלַם *convolvit*, sicut pallium convolvitur. 2. Reg. 2. v. 8. ut notet massam illam muliebris ac virilis seminis in primâ conceptione conglomeratam & coagulatam) *viderunt oculi tui.* ibid. v. 16. conf. Gerh. L. de Conjug. §. 445. Enimverò si corpusculum Davidis ante sui in utero materno conceptionem jam plene formatum exti-

extitiſſet, neque glomum appellaſſet maſſam illam ſeminalem, è qua conceptus fuit, neque ſui corporis formationem ſub ſymbolo acupictorii operis in utero demum materno ſuſcepti DEO adſcripſiſſet. Conf. omninò verba Jobi ad DEUM. c. 10. v. 10. 11. *Nonne ſicut lac fudiſti me? & ſicut caſeum in formam infudiſti? Cute & carne induiſti me: & oſſibus atque nervis compegiſti me*, quorum ſenſum D. Seb. Schmidt in Comment. ita exponit: *1. Formaſti me in utero materno mollem fœtum & humana lineamenta mirabiliter dediſti. 2. Conſolidaſti me paulatim, ut membra effigiata ſolidiora fierent, juxta ſoliditatem unicuiq; competentem.* 3. Quia DEUS in regno animali hunc ordinem inſtituit, ut per conjunctionem maris & fœminæ propagatio ſingularum ſpecierum fieret, ideò licet ſoboles in parentibus omninò ſeminaliter præexiſtere ſtatuenda ſit, ad conceptionem tamen & formationem fœtûs omninò neceſſarium eſſe maris & fœminæ congreſſum, ſemper ſupponendum eſt. Id quod confirmare licet ex Celeberrimi Lowenhö-

ckii Obſervationibus de congreſſu & generatione Inſectorum.

Obj. 2. Si ſoboles quoad animam & corpus ex parentibus generatur, ac proinde in utroque præexiſtit, tùm puncta ſeminalia jam forent animata, adeoque DEUS cùm primum formaret illa corpuſcula, creatam quoque animam illis ſociaſſet. Reſpondeo 1. per inſtantiam. Si Eva quoad animam & corpus ex Adami coſtâ fuit deſumta ac proinde in eadem præextitit, tùm corpus Evæ in latere Adami præexiſtens jam fuit animatum, adeoque DEUS cùm primum formaret coſtam Adami, creatam quoque Evæ animam illi ſociavit. Si hic diſcurſus non procedit, uti eum non procedere clarum eſſe arbitramur, etiam propoſita objectio non procedit, cùm utriusque par ſit ratio, ut conſideranti patebit. Certè Eva tota, quoad animam & corpus, teſte ſacrâ hiſtoriâ, ex Adami coſtâ deſumta fuit, unde ipſe dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Neque tamen dicere licet, quòd corpus Evæ licet in Adami coſtâ præexiſtens, plene

plenè jam formatum & peculiari animâ præditum fuerit. Similiter itaque, licèt dicamus, sobolem quoad corpus & animam in utroque parente præexistere, inde tamen inferre non licebit, quòd ejusdem corpusculum plenè formatum & animatum ibidem præexistat. 2. Quando soboles quoad animam & corpus ex parentibus generari ac proinde in utroque præexistere à nobis dicitur, id non volumus intelligi de sobole formaliter considerandâ, sic enim non amplius generanda esset, sed jam genita, verùm de sobole seminaliter considerandâ, hoc est, adhuc generandâ & per congressum maris & fœminæ producenda. Si autem non jam genita sed generanda demùm est, frustranea est omnis de ejus formatione vel animâ disputatio. 3. Sano sensu admitti potest, quòd puncta seminalia in parentibus existentia sint animata, intelligendo videlicet illud de animâ cujusvis parentis, non verò de peculiari anima cujusvis sobolis in posterum demum generandæ. Sine dubio costa Adami, è qua postmodum Eva formata fuit, animata erat

ante Evæ ex eâ formationem. Quis enim admittat costam Adami ad imaginem DEI adeoque ad immortalitatem conditi fuisse exanimem? Nec tamen animata fuit animâ Evæ inde formandæ, utpote nondum existentis, adeoque nec animam habentis, sed animâ ipsius Adami. Similiter puncta seminalia in utroque parente existentia sine dubio animata sunt. Nisi enim animata essent, neque semen essent, nisi æquivocè. Nec tamen animata sunt animâ sobolis in posterum demùm nasciturae, sed parentis. Quemadmodùm verò è costâ Adami animatâ Eva quoad animam & corpus formata fuit, neque enim alia origo istius animæ in historiâ sacrâ ostenditur, ita è semine parentum animato soboles quoad animam & corpus naturaliter enascitur, vi benedictionis primævæ: *Crescite & multiplicamini.*

Unum est, quod coronidis loco adjicimus. Sunt inter Recentiores Viri Clarissimi, qui in hâc materiâ de generatione Plantarum & Animalium multum tribuunt hypothesi, quòd Natura corporea omni consilio

ſilio ſapientiâque deſtituatur. Indeque colligunt, elegantiſſimam corporum in plantis animalibusque ſtructuram & tot partium organicorum inſignem harmoniam à Natura corporea cauſiſq; naturalibus omni conſilio ſapientiaque deſtitutis ſperari neutiquam poſſe, ac propterea ad ipſum DEUM recurrendum eſſe. Salvâ aliorum authoritate dicemus, quid nobis videatur. Equidem plantarum formationem in ſeminibus conſpicuam ad Authorem Naturæ referendam eſſe, non dubitamus. Quod verò Animalium generationem concernit, licèt extra controverſiam ſit, animalia irrationalia iſta ſapientiâ deſtitui, quæ in DEO & creaturis rationalibus invenitur, nihilominus in univerſum omni conſilio ſapientiaque ea deſtitui, attentâ ſacrarum literarum authoritate dici vel admitti haud poterit. Regum ſapientiſſimus Salomo, idemque Philoſophus acutiſſimus, & rerum naturalium, in ſpecie plantarum & animalium, indagator feliciſſimus, quod elogium ipſi tribuit Spiritus Sanctus. 1. Reg. 4. v. 33. minimis terræ ani-

malculis, in ſpecie formicis, cuniculis, locuſtis & araneis, divino Spiritu ſuggerente ſapientiam tribuit, & quidem non exiguam, ſed inſignem. Vocat enim ea *ſapientiora ſapientibus*. In fonte חֲכָמִים מְחֻכָּמִים *ſapientia ſapientificata*, ſi ita loqui licet, i. e. mirè in ſapientiâ exercitata atque confirmata, multisvé experimentis erudita, uti vim phraſeos exponit B. Gejerus Comment. in Prov. c. 30. v. 24. Profectò hoc non diceret Spiritus Sanctus ejusve amanuenſis Salomo, rerum naturalium ſcientiſſimus ac peritiſſimus, ſi natura corporea (ad quam indubiè pertinent ejusmodi animalcula) omni planè conſilio ſapientiaque
deſtituta eſſet.

INDEX.

A.

Car-

Her-

Natura

Sche-

S.

Spiri-

T.

V.

FINIS.